



Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita


Ex sanctissimo Dei Verbo copiosè & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

Lingendes, Claude de
Coloniae Agrippinae, 1689

In Feriam Sextam Post Dominicam Tertiam Quadragesimæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)



F E R I A S E X T A
 DOMINICÆ TERTIÆ
 IN QVADRAGESIMA.
 CONCIO PRIMA.

Explicatur tota Historia colloquii Christi cum Samaritanâ,
 & quâ arte Christus eam lucratus sit.

Venit mulier de Samariâ haurire aquam.
 Joann. 4.

CVM omnis generis peccatores CHRISTVS converterit dum viveret, mirabilis admodum fuit in conversione trium mulierum: Mariæ Magdalenaë, quæ fuit in civitate peccatrix: Mulieris in adulterio deprehensa, & Mulieris Samaritanæ. Vnaquæque harum conversionum habet aliquid peculiare; sed audeo illud dicere, mulieris Samaritanæ conversionem; habere aliquid præ cæteris mirabile. Atque ut cætera præteream; duo gravissima habebat suæ conversionis impedimenta: unum in intellectu, alterum in voluntate: unum in religione, alterum in moribus; uno ver-

bo, hæretica erat, & impudica: hæretica vel potius infidelis, erat enim Samaritana: Impudica autem, quæ post quædamque virorum conjugium in scortatione vivebat; Has autem omnes conversiones CHRISTVS effecit per gratiam, ut scias victrici gratiæ, non modò nihil esse impossibile, sed neque difficile. Verum uti dixit Pythagoras in Symbolis, neminem dicere aliquid posse de lumine, sine lumine: ita dico illud verius, neminem dicere aliquid posse uti oportet de gratiâ, sine gratiâ: Accedamus ad eam, quam Angelus vocavit gratiâ plenam. A V B M A - R I A.

QUEMADMODUM triplicem statū agnoscimus, Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ, ita triplicem distinguere possumus Dei cognitionem, unam ut authoris naturæ, alteram ut authoris gratiæ, tertiam ut authoris gloriæ; ut authorem naturæ agnoscimus Creatorem, ut gratiæ, Redemptorem, ut gloriæ, Remuneratorem: 1. cognitio pertinet ad Sapientes & Philosophos; 2. ad Christianos; 3. ad Beatos; neque enim, ut ait Isaias, *Oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*, & uti dicitur in Apocal. *Nemo scit, nisi qui accipit*. Relinquamus itaque primam considerationem Philosophis; tertiam quæ gloriæ est Beatis, ut ad alteram vitam pertinentem; nos ut Christiani hærebimus in ejus rei consideratione quæ maximè ad nos pertinet, nempe in consideratione gratiæ. Sed quia illa quoque in plurima se extendit, id unum tantum hodie spectabimus, quod in hodierno Evangelio continetur, nimirum admirabilem victricis gratiæ progressum in conversione mulieris Samaritanæ. In eo autè ille gratiæ progressus consistit, quod sic Christus arte gratiæ, varijs dolis atq; artificijs fugientē Samaritanam, tam pressis vestigijs misericorditer sit insecutus quasi fugientem feram, ut eam tandem quasi insignē prædam ceperit: quod nullā aliā ratione potero melius ostendere, quàm dilucidā totius Evangelij propositione & explicatione: ut in eo exemplo duo discamus. 1. Quibus modis soleat Deus peccatores, per gratiam capere: 2. ut sub tanto Magistro, artem lucrandi animas addiscamus: Ita enim se res habet in hoc negotio, ut qui conversi sunt, alios convertant, qui capti sunt, alios capiant: Sic mulier samaritana, postquā conversa est, officio Apostoli functa est, secundum illud. *Ex civitate illa, multi in eum crediderunt Samaritanorum, propter Christum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi*

omnia quaecunque feci: Eodè modo cùm Apostolos prope mare ita vocasset, ut caperet; illdem usus est ad alios capiendos, secundum illud, *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*. Sed rem aggrediamur.

Primus itaque passus fuit, præparatio gratiæ: ipsa enim semper præcedit donationem gratiæ, secundum illud Augustini; Prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò ipsa donatio. Illa autè præparatio duo continet: 1. amorè creaturæ peculiarem seu electionem, quæ supponit præferentiam; 2. captationem opportunitatis, tum ut reipsa vocetur, tum ut modo conveniēti vocetur. Quod pertinet ad amorè peculiarem, seu electionem, illa insinuat in verbis S. Joannis, *Reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam, oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in civitatem Samaria quæ dicitur Siebar, &c. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, &c. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere: ex quibus verbis, videas initium illius admirabilis mysterij, quod non vult Apostolus nos ignorare, quia *cacitas ex parte contigit in Israël donec plenitudo gentium intraret*: Nam Christus relictis Judæis transiit ad gentes, & in muliere Samaritana incepit gentium vocatio, & quod mireris in infami scorte peccatis obruto, illud impletū quod postea scripsit Math. cap. 21. *Amen dico vobis quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei*: Vide ergo peculiarem amorè, & electionem, quod relictā Judæā ad Samaritanos diverterit, & quod ex Samaria primam omnium vocavit mulierē peccatricem. Altera pars præparationis consistit in captatione opportunitatis & occasionis, quam semper Deus captat, cùm amat singulariter: tunc enim non vulgari, & promiscuā gratiā vocat, sed singulari, & præcipuā: quod tanti est, ut pleriq; ac præcipuè Augustinus locis innumeris, existiment in eo differre gratiam*

gratiam sufficientem ab efficaci, quod gratia
sufficiens, detur indifferenter, ac sine disposi-
tionum, aut occasionum respectu: in gratiæ
autem efficacis largitione, ratio habeatur
temporis, & dispositionum, secundum illud
2. Corinth. 6. *Tempore accepto exandivite, &
in die salutis adjuvite, ecce nunc tempus accep-
tabile, ecce nunc dies salutis.* Tria notat Evange-
lista, quæ fecerunt opportunitatem, & occa-
sionem præbuerunt, colloquendi cum Sama-
ritanâ; unde ejus conversio. 1. fuit Christi fa-
tigatio, quæ causa fuit ut sederet ad fontem,
& expectaret, & veluti insidiosè operiretur:
hoc significant illa verba, *fatigatus ex itinere,
sedebat sic*: id est quia erat fatigatus,
propterea sedit, ut solent viatores, qui
cum defessi sunt, sedent, & refrigerii causâ,
ad fontem quiescunt. 2. fuit Samaritanæ ne-
cessitas, & paupertas: nam necessitas po-
tus, eam traxit ad fontem; paupertas au-
tem fecit, ut faceret ipsa per se se, quod
per ministros, aut ancillam fieri solet: itaq;
dicit textus: *Venit autem mulier de Samaria
haurire aquam*: 3. fuit hora, nempe meridies,
quod non otiosè notavit Evangelista, *Hora
autem erat quasi sexta*: quæ verba continent
causam fatigationis Christi; nam & multo tē-
pore ambulabat, & æstus solis fervebat: immò
potius ratio redditur, & cur mulier veniret ad
fontem levandæ scilicet sitis causâ: & Christi
solus esset, atque adessent discipuli, ut nempe
horâ urgente cibosemerent: fuit autem pru-
dentissima Domini dispensatio, ut abessent,
quando arcana quædam dicturus erat mulie-
ri, quæ coram alijs dicta, ipsi attulissent pudorem:
præterquam quòd ratio reddi debuit,
cur ab ipsâ aquâ peteret, nimirum quoniã abe-
rant discipuli. Itaq;, ne putes hæc omnia for-
tuito contigisse: quin potius qui omnia dispē-
sat, mentē illius divino impulsu movit, ut tunc
veniret ad aquam fontem inveniret: ut scias
humanas actiones ita dirigi à Deo, ut
quæ proponimus agenda, ita disponat
ut plerumque aliud agentes, incidamus
in ea quorum nulla erat cogitatio. Rebecca
Genes. 24. veniebat ad fontem, ut oves, & pe-
cora adquaret; ibi servum Abraham invenit,
& facta est sponsa Isaac, & avia Christi. Ve-
nerat Rachel Genes. 29. ad fontem, ut pater-
nas oves adquaret: & invenit Iacob spon-
sum, sic omnia Deo disponente. Ita Saul 1.
Reg. cap. 9. Dum Patris Asinas quærit, reg-
num invenit. Sic Pastoribus pro græge suo vi-
gilantibus Lucæ 2. annuntiatus est Christus
ab Angelo. Sic vocati sunt Petrus, & Andre-
as, jacentes rete in mare. Ita Jacobus & Joanes
retia sua reficientes. Purpurissâ illa Act. 16.
Religionis causâ paternæ venerat in sacel-
lum, quod erat juxta flumen, ubi Paulum,
& Barnabam Apostolos offendit, quos habuit
& vitæ, & fidei magistros: aliud quæsi-
erat, aliud invenit. Quod nihil aliud
significat, quam sæpè nobis immeritis, &
aliud cogitantibus, salutem contingere. Ita
videas sæpè, quæ nostræ sunt salutis,
nobis inscijs à Deo disponi: unde ad nostrum
propositum Cyril. lib. 2. cap. 80. dicit Domi-
num fecisse ad modum jacentis retia ut passe-
res capiat. Primus itaque victricis gratiæ passus
est captatio opportunitatis, & ejus præpara-
tio. Transeamus ad alterum.

Secundus igitur passus est ipsa gratiæ do-
natio: Prima autem gratia quæ datur, est gra-
tia præveniēns, seu excitans tam in intellectu,
quàm in voluntate, quam sæpè per gratiam
externam producit: & sicut in præparatione
est electio, ita etiam in donatione sæpè est
favor & gratiæ singularitas. Capatâ igitur
misericorditer occasione, ipse Christus præ-
veniēdo inchoavit, idq; postulando. *Dicit ei
Jesus, da mihi bibere.* Vide præveniētem gra-
tiam, & gratiam peculiarem: præveniētem
quidem, quia ipse primus loquitur
& sermonem auspicatur: nam nisi præ-
veniret,

veniret nihil fieret: creatura enim à Deo potest se ipsam avertete, sed per se ipsam de reditu cogitare non potest: unde necesse est ut ipse præveniat: vide autem peculiarem gratiam, quia sic vocavit, ut postulare videretur; & sic egit, ut suavius impelleret. *Da mihi bibere.* Sitiebat quidem, quia nostras passiones induerat, & dictum est, quia *fatigatus sedebat sic supra fontem*, sed siti suæ, multis modis providere poterat. Verùm qui Angelis imperare poterat, maluit ab adulterâ peter e: sic enim hominum diligit salutem, ut quòd nostrâ summoperè interest, quodque pluribus titulis & modis jubere potest, etiam precibus flagitet. Vide autem quid petat, cum dicit, *Da mihi bibere*: Nam ut scias sitim corpoream non effecisse ut aquam peteret quam biberet, post multum temporis, nec bibit, nec oblatos à discipulis cibos accepit. Non igitur petivit aquam ut biberet, sed sitivit ut peteret; petiit autem ut sic petendo, ipsam præveniret; non potuit autem melius prævenire, quam ut ex eo ipso, quod agebat mulier, occasionem acciperet; venerat enim alia, ut aquam hauriret, & idèò petiit ab eâ. *Da mihi bibere*: pacifica & simplex petitio; non imperat, non jubet pro imperio; & in eo est suavitas gratiæ quod non cogat, non vexet, sed postulet, & quasi blandiendo. Ad hæc non postulat à te, quod facere non possis, immò quod facile non possis; tantùm enim petit bibere, ac petit propè fontem, & petit ab eâ quæ haustura venerat, quæ omnia ad suavitatem gratiæ pertinent: in eo igitur est gratiæ præventio, quòd Christus eam expectarit, & quòd primus sit ei locutus: Suavitas autem in eo est, quòd ita sit locutus, nempe petendo, & ex eo quòd ipsa poterat, & quòd erat factura, occasionem acceperit.

Tertias passus gratiæ est directio, quæ omninò tendit ad consensum, & ad effectum, qui requiritur; ut hoc bene intelligatur, No-

ta. Gratia vocantis seu excitantis duplicem esse effectum unus est planè necessarius, qui nunquam deest, & est à nobis inde pendens estque in intellectu illuminatio seu auditio, & in voluntate excitatio, seu attractio, hæc enim gratia per se efficit formali effectum, secundum illud, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Et id significatur per illa *Dixit ergo ei mulier Samaritana*: ubi particula (*ergo*) illationem continet, & significatur causa cur Christo mulier locuta sit, quia nempe Christus ab eâ bibere petiit: hic est enim primus gratiæ effectus, ut sic vocet ut audiat; sic illuminet ut nò lateat, sed videatur; unde anima sic vocata, sic illuminata, dissimulare non potest se esse vocatam & illuminatam, *dixit ergo ei mulier Samaritana.* Alter effectus est consensus, qui cum à solâ gratiâ non pendeat, sed etiam à libero arbitrio, propterea non semper sequitur idèòque non est necessarius, sed liber, quia pendet à libertate non quidem solâ, sed etiam à gratiâ: iam ut ille effectus de facto sequatur, facit directio gratiæ, quod ut intelligas.

Nota 2. Cum gratia sit motus in intellectu, & voluntate, hoc est, actio quædam intrinsecaque potentiâ. ita sæpe dari, ut statim transeat, & tunc ratò suam habet effectum, quia statim animus ad alia transit, & impulsus illius obliviscitur: itaque ut de facto suam habeat effectum, oportet ut illa motio diutius duret, ut anima illius non obliviscatur, neque aliò se divertat: uti enim Dæmon quos primâ aggressione non superat, eos tandem assiduitate debellat, nemo quippè, ut ait S. Ambrosius, diu fortis est; idem contigit in gratiæ donatione: ejusdem namque vocationis continuatio, consensum tandem extorquet. Deinde quia plura esse possunt hujus effectus impedimenta, interius, & exterius, propterea indiget anima auxilio quodam peculiari, quo

quo illa impedimenta aut removeantur, aut superentur, & illud auxilium pertinet ad directionem: illa autem impedimenta sunt in causâ, quominus sequatur effectus, qui non est alius quam consensus voluntatis, aut ipsa effectio, ad quam exigitur voluntatis consensus: Illa autem directio eò major est, quò minus animam deserit Deus, eam ad singulos passus sequens, ne aberret. Et hunc gratiæ effectum habemus insignem si unquam in Samaritanâ, quæ cum plura haberet impedimenta, interiora, & exteriora, & omnibus modis se gratiæ præripere conaretur, Christus eam omnibus modis, & iisdem vestigijs insecutus est, nec unquam deseruit, donec assensum expressit, & effectum habuit quem intendebat, nempe totalem ejus conversionem, & per eam suorum etiam civium reductionem. Vide itaque quomodo modis omnibus fugientem sic insecutus sit, ut tandem ceperit, non aliter quàm solent venatores varias ferarum declinationes insequi: & his positis.

Adverte primam mulieris Samaritanæ fugam, cujus fundamentum, & occasionem continent illa verba: *Dixit ergo ei mulier Samaritana: Certè dissimulare non potuit, neque tacere; Christus enim eam prævenerat, & ei primus locutus fuerat: sed cum ab ea potum petijset, & illa esset Samaritana, propterea ita petenti respondit, ut sequitur: Quomodo eni Iudæi cum sis, bibere à me positis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim cointuntur Iudæi Samaritanis: quibus ut dixi ostenditur prima ejus fuga, quâ gratiæ obedire detrectat. Certè gratiam impedire nemo potest quin detur, hoc enim pertinet ad supremum Dei in animam dominium, ut ei loqui possit, & eam movere; itaque nemo impedire potest, ne sibi Deus loquatur, aut facere, ut sibi loquentem Deum non audiat: Sed quilibet gratiæ obniti potest, quilibet potest non parere. Cum enim*

Deus sit Dominus animæ, impedire ipsa non potest, quin ei loquatur; sed cum anima sit Domina sui arbitrij, recusare illa potest vocantem. Samaritana non potuit impedire Christum, ne à se aquam peteret, sed illa potuit aquam petenti recusare. Verùm cum duobus modis anima refragari possit, uno modo plane inurbano, ut olim Pharao Exodi 5. *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam, & ille populus de quo Ieremias cap. 2. A saculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non serviam: alio modo minus in speciem inurbano, sed falsâ ratione se tegendo: Ita Sponsa Cantic. 5. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Utroque modo resistere visa est Samaritana, quæ quidem aquam Christo petenti non denegavit, sed tamen petenti non concessit; quin immò, exprobravit petenti quòd peteret, causâ etiam additâ, quod cum Iudæus esset, non deberet aliquid petere à Samaritanâ. Nemo certe est, qui ignoret Samaritanos non fuisse Iudæos, sed ab Assyriâ & alijs Paganorum terris translatos, Deos suos patrios coluisse, & fuisse Idololatrias, licet aliquid ex Iudaicâ religione suæ miscuissent. Nemo item est qui nesciat illos in monte Garisim templum æquificasse, ut suos, à templo Ierosolymitano averterent; unde maximum Iudæorum odium adversus Samaritanos: Hâc itaque occasione usâ mulier illa Samaritana Christo exprobrat, quòd cum passim Iudæi, omne commercium cum Samaritanis refugerent, ut ne quidem cum illis tractare vellent, quod significant illa verba: *Non enim cointuntur Iudæi cum Samaritanis, (hoc enim odium, non à Samaritanis, sed à Iudæis) exprobrat, inquam, quòd cum ipse Iudæus esset, quod facile, & ex habitu, & ex sermone deprehendebat, ab illâ potum peteret, quam esse mulierem Samaritanam***

facile nosse poterat, & ex loco vicino, unde ipsa venerat, & ex habitu. Atque hic primus fuit fugientis mulieris flexus: sed Christus qui capere illam volebat, fugientem sic insecutus est.

Respondit Iesus, & dixit ei, si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere: Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam: Duo dicit. Primum se non petere ut indigentem, immò se ita petere, ut ipsi occasionem det melius aliquid petendi; unde ait, *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo,* quasi diceret, non tam peto, quam offero: ita, tu potiùs petere deberes, quod & ego cupio. Alterum, se damnare inurbanam ipsius reculationem, cum addit, *& dedisset tibi aquam vivam;* id est, non fecissem, ut tu fecisti, quæ aquam postulanti denegas: quia si petivisses, ul. rò tibi dedissem: verùm non qualemcunque aquam, sed illam vivam. Cæterùm quoniam præcipuum, & primum gratiæ officium est illuminare, propterea illam paulatim instruit de mysterijs: Itaque in illis verbis obscure indicat mysterium, se nempe datum à Patre hominibus in donum: unde dicit, *Si scires donum Dei:* Etenim de se loquitur: Sed addit se ignorari, unde dicit *si scires:* ostendit autem se esse Filium Dei unde se vocat *donum Dei,* quo nomine Patrem, significat: In quibus verbis duas includit consequentias: prima est, si sciret mulier, peteret: altera, si peteret, ei daretur: primam quidem; nam si sciret ipsum datum à Patre in commune bonum, ad hæc, illum ipsum esse Filium Dei, sanè ipsa ab eo peteret salutem, quam dare potest, quia Filius Dei: Alteram verò, peteret salutem quam daturus esset, quia ad hoc datus est hominibus: prima certa est: nam: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam:* alte-

ra non minus. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum:* loquitur autem in tertiâ personâ ex phrasi Hebræâ, & hæc locutio modestiam habet & gravitatem: Hæc quidem perfecte non percipiebat mulier Samaritana, sed verborum magnitudine alliciebatur ad fidem, & ad majora de Christo percipienda, quam priùs conceperat, quem hominem vulgarem, & ut unum ex Iudæis existimabat.

Hinc discite, primam animæ fugam sic obstrui; & vocationi Dei, & gratiæ prævenienti vim addi, si intelligat anima, primo quis sit ille qui vocet, secundo quam gratuitò, & misericorditer vocet, *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere.* Tertio quæ sit illa quæ vocetur, nempe rerum omnium egens, & ita misera, ut nesciat quo statu sit, nec suam miseriam norit, nec modum ab eâ se liberandi: adeò ut vix etiam petere possit se liberari, quod significant illa verba. *Tu forsitan petisses ab eo.* Quarto ad quid vocetur: *Et dedisset tibi aquam vivam:* sub quo symbolo Spiritum Sanctam designat, & vitam æternam, uti postea se se explicat: Quintò quam id facile habere possit, & quam certò: facile quidem, scilicet si peteret: certo autem, quia dedisset: Equidem si hæc omnia scivisset Samaritana, forsitan petivisset, ut scias liberum esse arbitrium, quod ita movetur ut petat, ut tamen possit non petere: unde dicit. *Tu forsitan petisses,* quod non diceret, si omnis qui movetur ut petat, temper defacto peteret, aut necessariò peteret: sed si petivisset obtinisset, unde subditur, *& dedisset tibi:* ut scias promptitudinem Dei ad dandum: Neque enim facienti quod in se est Deus denegat gratiam: nunquam autem deest petendi facultas, neque petenti necessaria gratia denegatur, secundùm illud Tridentini: Facere quæ possis, & petere, quod non possis. Sed ut melius

lius gratiæ virtutem atque efficacitatem cognoscas.

Vide alterum fugientis Samaritanæ flexum, & fraudem & fugam. *Dicit ei Mulier: Domine neque in quo haurias habes, & puteus alius est: unde ergo habes aquam vivam?* Cùm se mulier subaccusatam videret inurbanitatis, quod ei aquam ordinariam denegasset, à quo, si ipsa aquam petivisset; longè meliorem ordinariã & naturali accepisset; aliunde tamen spe aliquã traheretur, vel sciendi, vel habendi ejusmodi aquam vivam; nam CHRISTVS tantum non obtulerat, cùm dixit, *forstian tu petisses ab eo & dedisset tibi aquam vivam*: Jam fit, urbanior, unde non ut priùs exprobrando, Iudæum appellat, sed Dominum: Propter spem verò conceptam, & desiderium, jam fit curiosa, sed cum dubitatione: *Neque in quo haurias habes & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?* Non quidem intellexit quid CHRISTVS voluerit: ipsa enim intellexit de aquã materiali: ille autem de spiritali: sed tamen non neglexit, verùm aliquid magnam suspicata, plus interrogat, ut plus sciat: movet tamen difficultatem, & quasi impossibilitatem obtendit: Itaque & accedit, & recedit: ut scias fugæ similitudinem, sed artificiosã: Nam nec negat quod CHRISTVS dixerat, se daturum fuisse aquam vivam: nec approbat, quia indicat impossibile, cùm nec CHRISTVS habeat vas, in quo hauriat, & puteus altus sit: Quia tamen aliunde aliquam habere potuerat, propterea interrogat, & aliunde habeat, & unde habeat, ait enim: *Vnde ergo habes aquam vivam?* propterea addit. *Numquid tu major es Patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij ejus, & pecora ejus?* Vult dicere, se nescire unde habeat illam aquam vivam, quæ melior esset illã aqua putei: Nam si fuisset aliqua, hanc Jacob habuisset, cùm tamen ipse non alia aqua usus fuerit, quàm ista,

quàm & filiis suis comunicavit, & pecoribus suis: fuit itaq; omnium optima, cùm ipse, & filij ejus biberint: fuit quoq; copiosissima, quæ pecoribus ejus ad aquandis suffecerit: quare signum est, inibi non esse aliquam aliam meliorem. Caterùm vide alium gratiæ vincentis effectum: paulatim mansuescit fœmina, & ostendit se aliquid magni concepisse ex Christi verbis: immò paulatim accedit, nec se ab eo tam aversam ostendit, ut initio: itaq; se indicat habere cum illo communem Patrem, cùm ait, *Numquid tu major es patre nostro Jacob*: vide igitur in universum, quid divina vocatio efficiat in anima, in continuatione, & iteratione gratiæ: Nam Deus paulatim animæ se aperit, uti cùm Sol se paulatim subtrahit à nube: Tum ipsa fit tractabilior: nam de rebus divinis, de que eo quod proponitur, habet majorem opinionem: Iam incipit dubitare, propius accedit, & majori lumini, & clariori doctrinæ dat occasionem.

Sed ad Christum redeamus, ac videamus quomodo fugientem sit in securus: Duo Mulier quasi negare visa fuerat: Primum, Christum posse dare aquam, cùm non haberet in quo hauriret, & puteus esset altus: alterum posse dare aquam vivam, & istã meliorem, eò quòd non esset major Patriarcha Jacob, qui aquam non habuit meliorem, quia nec pro se, nec pro aliis alterã usus est:

Huic geminæ negationi respondet Christus, atque asserit, & se habere aquam, & eam esse istã meliorem: unde facile ostendit se esse majorem quam Jacob: vide autem discrimina, & præcellentiam aqua quam pollicetur, supra aquam putei Jacob.

1. Discriminamen in his verbis continetur: *Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: id est: Aqua hujus putei non perfectè extinguit sitim, nã qui eã bibit, eam iterum sitire necesse est,*

uti patet experientiã : Aqua verò quam promitto, sitim omnem auferit, quia qui eam biberit, non sitiet in æternum. Et accommodatè loquitur ad necessitatem mulieris, quæ cogebatur quotidie haurire aquam, & ad puteum venire : unde allicitur ad eam aquam desiderandam, quâ haustâ non cogatur quotidiano labore se consumere in ea iterum hauriendâ. Porro hæc præstantia ostendit eam aquam esse materialem, aut elementarem, sed alterius rationis, & per illam intelligit Spiritum Sanctum. Sed nõ est huius loci, vel temporis id uberiùs explicare : sufficiat locus Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat : qui credidit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viva : hoc autem dixit de Spiritu, quem acceperunt erant credentes in eum.*

2. Discrimen in his verbis continetur, *Sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aqua salientis in vitam æternam* : Duæ sunt præstantiæ : una quod aqua illa data, fiet fons, quod non fit in aqua quæ bibitur : simulque ratio datur, cur non sitiat, qui bibit ex illa, quia in se fontem habet : Item docetur unde habeat aquam, cum fons ille haberi possit, qui autem fontem habet, aqua carere non potest.

3. Discrimen est, quod reddat eos qui bibunt, immortales, quia tanta est virtus aquæ in bibente, ut eum suo impetu impellat, & extol'at in vitam æternam, qui omnes effectus Spiritui Sancto facile possunt applicari : ille enim fons est Spiritus Sanctus : aqua autem huius fontis sunt gratia, & alia dona, quæ gratiam infusam, & charitatem consequuntur ; charitas autem infunditur in nobis, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis : dicitur autem hæc aqua salire in vitam æternam, quia salire nos facit, dignosque efficit, ut vitam æternam consequamur ; quod habet ab impetu, & virtute principij cui nos conjungit, peccatum suum agnosceret, ac confiteretur, nempe a tribus Divinis Personis quibus nos

unit. Hic etiam vide novum gratiæ vocantis effectum : ubi enim anima facta est attentior, paulatim majora audit ; unde sic afficitur, ut incipiat bonum desiderare. At vide.

Tertiam Samaritanæ fugam planè artificiosam : Etenim in speciem credere visa est, quod à Christo dictum est de aquæ illius præstantia : Itaque petit ipsius rei experimentum, *Domine da mihi hanc aquam*, Cum enim dixisset, quod si peti videret tam eximiam aquam, eam fuisset acceptura, idè petit, ut veritatem promissionis ipsius experiatur : Sed præsertim hoc dicit ex curiositate, ut videat qualis sit illa aqua, ceterum nec satis percipit, qualis sit, nam & putat materialem, & quæ tollat sitim corporis ; & affectu imperfecto illam desiderat, atque postulat, scilicet ob utilitatem temporalem, ut deinceps non sentiat laborem hauriendi, quotidie veniendo ad fontem ; *ut non sitiam* (inquit) *neque veniam huc haurire* : cum tamen Christus ejus animam altius vexisset, pollicendo aquam salientem in vitam æternam.

Neque ita fugientem Christus deserit, nam cum huius declinationis causa, vel occasio fuerit, quod desperavit intellexisset quæ sibi à Christo dicta fuissent, & quod imperfectè cuperet quod videbatur, huic malo voluit. Quoniam igitur ea intelligendi, & volendi imperfectio, ordinariè procedit ex mala dispositione subjecti, & ab impedimento quod est in creatura ; hinc fit ut Christus prudenter ad causam impedimenti accedat : Et quoniam Mulier res spirituales, atque divinas, capere non poterat, quia gravi carnis peccato oppressa erat (neque enim animalis homo percipere potest) hinc factum, ut ad removendum impedimentum, morbi causam pius medicus se converteret. Quare ut sic ad mulierem loquitur, *Vade, voca virum tuum,*

num. & veni huc: Sciebat eam non habere virum, sed adulterum; eam tamen induxit, ut proprium peccatum fateretur, & humilitate confessionis, disposuit, ut illuminaretur; propterea ut ipsa confiteri saltem inciperet quod non cogitabat malum, in memoriam revocavit, & occasionem dedit loquendi, & occulta aperiendi: quod Christo successit, ipsa enim rem confessa est.

Sed vide quartam mulieris fugam: Sic rem falsa est, ut tamen imperfectam fecerit confessionem: *Respondit mulier, & dixit, Non habeo virum*; Sic sanè locuta est ne aqua illius dilationem pateretur, & ne ex occasione mariti vocandi quod rei afferret moram, Christus acciperet excusationem negandi beneficium. Negavit quidem se habere maritum, sed nihil de adultero confessa est, quod Christus exigebat; partem itaque dixit, alteram dissimulavit. At vide quomodo fugienti Christus occurrerit: Cum enim mulier putavit se CHRISTVM eò perduxisse, ut rei quam erat pollicitus, experimentum facere teneretur, ferè capta est, nam quod mulier artificiosè inceperat CHRISTVS persequitur, & absolvit, confessionis ipsius principium confirmans: *Benè dixisti, quia non habeo virum*: sed quod ejus confessioni defuit, & occultum erat, consequenter supplet, ac manifestat, dicens, *Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc verè dixisti*: nempe te virum non habere, quia ceteri habeas aliquè, ille tamen, non est tuus vir: quibus verbis declaratur occultum mulieris adulterium. Non utitur autem verbis inceptantibus, quia satis erat ad pudorem, rem occultam revelare: revelata autem, non tam ut illius insimularet incontinentiam, quam ut ei indicaret quis esset, & paulatim eam ad sui fidem alliceret.

Ceterum ut videas operosam esse peccatoris conversionem, vide novam mulieris se læ propipientis fugam, atque flexum. Quis

enim non putasset ipsam captam fuisse occultorum manifestatione, præsertim cum crimen suum fateatur, unde CHRISTVM vocat Prophetam: *Domine, ut video, quia Propheta es tu*, & veritatem fateatur, & adulterium; & honorat veritatis authorem, eum appellando Prophetam, seu divinitus edoctum: & cum valere videatur ejus confessio, unde ad majorem transit illuminationem: Tamen declinavit astutè, quæstionem difficillimam proponendo, ut sermonem de mala sua vita evitaret, & alio Christum deduceret: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*: Vide artificium: r. enim ne diutius immoraretur in suorum vitiorum consideratione, ad aliam transit quæstionem: Deinde ut suis faveat ostendit Samaritanos niti exemplo Patriarcharum, quia in monte Garizim adoraverunt, ut Abraham, & Isaac, & Jacob; Judæos autem tota opinione niti: unde ait, *Et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*. Porro quæstionem proponit de celeberrima controversia, quæ erat inter Judæos & Samaritanos, de loco sacrificandi: cum enim non liceret ubique ex lege sacrificare, ex præcepto Domini, Deuteronom. 12. *Ad locum quem elegerit Dominus: DEVS vester, de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo venietis: & offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria, primogenita boum, & ovium*: Judæi hunc locum adorationis, seu sacrificii, templum Hierosolymitanum affirmabant esse, ut Salomon, & Reges sacrificia obtulerunt, & ubi erant legitimi & summi Sacerdotes: è contrariò Samaritani in monte Garizim, loco totius Samariæ eminentissimo, prope Sichar, templum ædificarunt, ubi Deo sacrificabant, eumque esse locum à Deo electum contendebant: eratq; permolesta, &

continua controversia inter Iudæos & Samaritanos, quis locus esset ex duobus legitimus adorationis, seu sacrificii: Hæc ergo mulier putans Christum esse Prophetam, huius controversiæ resolutionem ab eo postulat: quem enim experta fuerat occulta revelasse, eundem putavit idoneum esse huius controversiæ iudicem.

Sed Christus ut fugæ mulieris occurreret, ex proposita quæstione occasionem arripit, eam de summis rebus instruendi, & amplius illuminandi; atque ante omnia sibi haberi postulat, ut Prophetæ, & quem ipsa experta est scite occulta: unde eum interrogat, ut Prophetam: *Dicit ei mulier, Domine video quia Prophetas es tu: Patres nostri in monte hoc adoraverunt, &c.* Ait itaque Christus: *Mulier crede mihi;* Prophetam se probarat: itaque fidem potuit exigere: ad hæc, si illa nitebatur Patrum autoritate; cum iste se probasset majorem quàm Iacob Patriarcham, etiam fidem sibi dari, potuit exigere: Hoc posito.

Docet 1. Ut mulieris interrogationi responderet, illam de loco adorationis contentionem cessaturam, & è medio tollendam, quia neque in monte Garizim, neque in templo Hierosolymitano, erit adorandus Deus: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitur Patrem:* Prædicit utrumque cultum tollendum, & Iudæicum, & Samaritanum: Erit quidem cultus divinus, ait enim, *adorabitur Patrem:* sed neuter erit quia neque hîc, neque illic, quoniam uterque cultus cessabit & orietur perfectior: hoc indicat vox (*Patrem*) quâ ut ait Cyrillus indicatur etiam Filius: quod Iudæi explicitè non faciebant non enim distinctè Patrem, & Filium norant, multò minus adorabant. Abba, Pater.

Docet 2. Præferri Iudæos Samaritanis, & solvit propositâ à muliere quæstionem: *Ves ado-*

ratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est: Id est vera est fides Iudæorum de uno Deo, & illis facta est promissio de Messia, & de Redemptore: Falsa fides Samaritanorum, quia Dei unitatem nesciebant: Ad hæc insinuat, non ex eadem causâ cessaturum cultum Iudæorum autem cultus, propter imperfectionem.

Docet 3. Qualis ille tertius cultus futurus sit, qui introduceretur remoto cultu, & Iudaico, & Samaritano: *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores, adorabunt Patrem in spiritu, & veritate:* Docet itaque licet plures & futuri sint qui Deum adorent in spiritu & veritate: Quare nec gentiles futuri erant, veri adoratores, nec Iudæi: sed illi tantum qui adoraturi erant in spiritu & veritate.

Ut hoc benè intelligatur, Adverte duplicem cultum cessaturum Iudæorum, & Samaritanorum; horum quidem, quia falsus; nam falsos Deos colebant; est enim unicus DEVS verus, Illorum autem, non quia falsus, sed quia non spiritualis, totus enim consistebat in ceremoniis corporalibus, per hostias corporeas, quæ in unico templo offerebantur. Ratio autem fundamentalis est, quia oportet cultum esse Deo convenientem, & proinde esse verum, & spiritalem: Id significant illa verba, *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare:* Nec cessari utaque fuit tertius cultus introducendus, qui Samaritano opponeretur, quo iam esset in veritate; & Iudaico, quoniam in spiritu, contra umbras & figuras: *Nam & Patres tales quæris qui adorent eum: Veri enim adoratores adorabunt Patrem, in spiritu, & veritate.* Erit enim veritas, quia DEVS adorabitur: Erit adoratio in spiritu, quia DEO non offerentur res corporeæ, umbræ & figuræ, nec in iis servietur, sed in actibus virtutum, qui ex Spiritus sancti gratiâ procedunt.

Cum nihil haberet mulier quod responderet ne tamen omnino victa esset videretur, hanc eam sextâ vice fugere, atque elabornata est: Itaque quasi vel non sibi planè esset satis factum, vel quæ dicta erant, non intelligeret, rem totam, & quæstionis definitionem, in aliud tempus differt, nempe ad adventum Messia: *Dicit ei mulier: scio quia Messias venit*; id est venturum Messiam scio illud enim præsens venit vim habet futuri & particula, *quia*, declarationis est, ac si diceret, scio quia venit, aut scio venturum: Etenim Samaritani, cum quinque libros Moysi reciperent, Christum venturum credebant: In libris enim Moysi, promissio Messia continetur, juxta illud Ioan. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Pergit mulier: *Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*; sperabat nempe Christum, legem, & doctrinam expositurum, ut doctorem insignem; nec ipsa fallebatur, quamvis esset aliter docturus, quam ipsa putabat. Habebat quidem Christum, præsentem, & doctorem sed non agnoscebat: Verum ut duo Discipuli euntes in Emmaus, etiam si eorum oculi tenerentur, ne eum agnoscerent, mirus motus loquente Christo in se sentiebant: unde dixerunt, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas?* Ita mulier ex Christi præsentia, & colloquio mirus in se motus sentiebat, & ita mota est desiderio ad ventum Messia: Immo dum dicit; *nobis annuntiabit*, præsentit se eum esse visuram: Et verò non est deceptus affectus illius, neque suo desiderio frustrata est; nam & ipsum Messiam vidit, & agnovit, & ab ipso edocta est uti speraverat.

At Christus tam multiplici fugâ, & lapsu mulieris, affectus tadio, cum variis affectibus, & diversis illuminationibus eam disposuisset, tandem uno verbo rem confecit, seque illi aperuit quis esset: *Dicit ei Iesus. Ego sum qui*

loquor tecum: Mira dignatio! quod Christum ludæistoties petentibus, atque interrogantibus, dicere denegavit (Ioan. 10. *Quousque animam nostram tollis, si tu es Christus, dic nobis palam*:) Illud mulieri Samaritanæ, infimæ conditionis mulieri, & adulteræ, ultro aperuit, & se Christum esse fassus est, atque Messiam, & simul atque verbo exteriori aures ferit, mentem ejus & affectum cælesti lumine & dono spiritali imbuit, ut quod exterius audiebat, interiùs perciperet & crederet: quod ipsa cumulatissimè fecit, & præda facta est Salvatoris, unòque verbo res omnis confecta, & peracta conversio & morum, & fidei, & religionis. Ac ne dubites; Vide quæ eius conversionem sic factam secuta sunt.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus? In quibus verbis Evangelista triplicem veræ fidei fructum complexus est, quod denotat particula *illationis ergo*; *reliquit ergo hydriam suam mulier*: quæ significatur quod præcessit causam esse sequentis sententiæ, ac si diceret: *Quia audivit à Christo, quod ipse esset Messias; propterea relicta hydriâ abiit*: & quæ sequuntur: ut scias vim admirabilem esse, atque efficaciam gratiæ quæ saxea corda emolliat, & incredulorum mentes, ac peccatorum voluntates, ad se potenter, & citò convertit.

Primus fidei fructus fuit magna morum mutatio: quæ enim antea parum aquæ, Christo sitienti, & petenti denegarat, jam propter eum, & hydriam & funem reliquit, fortasse quia Discipulos de civitate cibos emisse cognoverat, quos dum cibum cum magistro caperent, hydriam egere posse judicavit; eam itaque in ejus, ac discipulorum usum reliquit: Ad hæc cui toties venire ad fontem, etiâ ut sibi aquam hauriret, grave erat; jam redire ad civitatem, & iterum ad fontem, ubi Christus

Christus manserat, reverti, non laborem importunum, sed requiem potius reputabat.

2. Fidel ipsius fructus fuit rerum temporalium neglectus: nam & sitim suam oblita est, nec curavit aquam haurire, immò & hydriam & funem reliquit, imitata Apostolos qui relictâ navi & retibus, secuti sunt Dominum. Vt enim illi cum audissent se factos esse piscatores hominum, nihil morati sunt naves & retia, quibus pisces caperent; sic ista mulier hausit & acceptâ, quam Christus promiserat, aquâ spiritali, saliente in vitam æternam, nihil morata est aquam materialem, sed relictâ apud puteum hydria, nihil respondens Domini verbis, properat in civitatem, facta, ex muliere adultera, Apostola: Et hic est

3. Fidei fructus, nempe studium impertendi aliis in ventam veritatem: ea est enim natura veræ cognitionis Christi, ut qui eam nactus fuerit, nihil prius habeat, quàm illam plurimis communicare. Ita hæc mulier ubi credidit, reliquit hydriam suam, & cum illa sine mora abiit in civitatem, quia ibi plures erant; & dicit illis hominibus, *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci: numquid ipse est Christus?* In ea impletum est quod dixit David, *Credidi, propter quod locutus sum.* Et Paulus Roman. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem, & propriam, & aliorum.* Vide autem qua prudentia, & quo zelo suis Christum prædicet; In eo consistit ejus prudentia, quòd primò miraculum narrat, ut hac ratione eos ad fidem disponeret; sic enim apud se statuit, cum per revelationem secretorum ad fidem impulsâ sit, ipsam eundem apud eos effectum habituram: propterea illis narrat quomodo ei omnia, quæ ipsa fecisset in vita, dixisset: Ac ne dubitarent de miraculi veritate, eos ad experientiam invitat: *Venite, inquit, & videte hominem:* confidebat enim si ad Christum venirent, eum & doctrinæ suæ propter verbum mulieris, testimonium præhiben-

& potentia verbo illos conversurum, ut ipsa deinde contigit: cumque ipsa crederet esse Christum, eos ad probandum invitet, an esset Christus: Non itaque simpliciter affirmat illum esse Christum, sed ex narrato miraculo, judices facit, *numquid ipse est Christus?* quæ ratione id ipsis facilis persuasit: Item non dixit, *Ite, & videte, sed venite;* ut majorem fidem mereretur, quasi ipsa etiam testis vellet accedere. Zelus autem in eo fuit, cum quòd ubi primò agnovit, non remansit, sed relictâ hydria ad alios perrexit, ut eos tãti bonifaceret participes: Deinde nec suo nomini ac famæ pepercit, neque enim dissimulavit se esse in illicitis amoribus, cum hæc omnia narravit sibi à Christo dicta fuisse, quod Evangelista verbis generalioribus expressit. *Qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Non itaque timuit infamiam, ut Christi nomen celebraret; ut S. Paulus, qui ut Dei misericordiam erga se extolleret, & ut suis discipulis prodesset, vitæ suæ præterita mala, quæ contra Christum operatus est narrare non erubuit: uno ergo momento, & fidem concepit, & magnos progressus in ea fecit, facta illustre conversionis exemplum.

Vide autem admirabilem prædicationis ipsius, & dari Christo testimonii successum; 1. enim multi ex Samaritanis ad Christum accurrere, secundum illud Evangelistæ: *Cum venissent ergo ad illum Samaritani:* particula (ergo) consequentiam infert, ac si diceretur, propter mulieris dictum exierunt Samaritani ut venirent ad Christum, fidem ejus verbis habentes: nam cum dixisset, *Venite, & videte;* propterea exierunt illi, & venerunt, ut viderent. Felix mulier, quæ tam multos adduxit ad Christum! 2. Multis persuasit, ut crederent eum esse Christum narrato quòd sibi contigerat miraculo: *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum;* Christus venirent, eum & doctrinæ suæ propter verbum mulieris, testimonium præhiben-

benis: quia dixit mihi omnia quacun- que feci: 3. Occasionem dedit ipsi Christo plures convertendi, & eos, quos ipsa conuerterat, & in fide confirmandi, & verò etiam perficiendi: quod factum est duorum dierum spatio, quibus Christus, in eâ civitate commoratus est: Cum venissent ergo Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieres dicebant: quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verè Salvator mundi: Quasi dicerent se priùs credidisse propter ejus sermonem, sed nunc se majus habere credendi testimonium, ita ut credituri etiam fuissent, licet ab eâ nihil audivissent: Andivimus (inquiunt) quia, fides ex auditu: scimus autem; ut certam suam fidem ostendant, atque ab omni dubio liberam. Quid autem credant, exprimunt, nempe eum verè esse Salvatorem mundi, quod Christus dixerat Samaritanæ: non uno loco religionem definiendam, quasi tantum esset unius gentis Salvator, Iudæorum nempe, aut Samaritanorum, sed totius mundi. Articulus autem additus, habet emphasim quasi dicant, hic est Salvator ille, qui propriè, & verè omnes salvat: Venerunt enim multi ut salvarent, & Patriarchæ, & lex, & Prophetæ, & Angeli, sed hic est ille unicus, & verus Salvator. Porro hæc subita Samaritanorum coaversio, præludium fuit, & primitiæ quædam vocationis gentium, idèò Christus voluit illam esse adèò illustrem, ut reverà fuit.

Ex hoc toto discursu apparet quanta sit virtus, & efficacia gratiæ, quæ potuit indoctam, & rudem, immò etiam peccatricem

Tomus II.

fœminam, tam citò in veritatis Christi convertere Apostolam, ut facta sit ejus prædicator, & ad eum tam multos traxerit, cui paulò antè, aquam ad bibendum negaverat: Vnde scias neminem desperare debere, si modo gratiæ obedire velit. Quid enim potes obtendere, an ignorantiam, an vilem conditionem, & genus ignobile, an paupertatem, & rerum necessariorum indigentiam, an vero malam vitam præteritam, & pravas consuetudines? Cogita mulierem Samaritanam, pauperem, ignatam, adulteram, & fœminam multorum virorum. Cogita etiam Samaritanos homines idololatrias, & vel solo nomine execrandos. Sed in quàm multis illud Christi pronuntiatum impletum est? *Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Quid quod illa mulier, non tantum ipsa salutem consecuta est, sed tam multos ad Christum adduxit, & tam multis causa fuit salutis? Sed nimirum ubi agnovit, non remansit, non se excusavit, sed omnia uno momento dereliquit, nec vel ad instans morata est. Secundo Quàm illa facilè; & quam promptè Samaritani crediderunt: Tu Iudæis similis, post tot visa miracula, post tot audita testimonia, non credis? Certè hic locum habet Christi argumentum: *Viri Ninivita surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia poenitentiam egerunt in predicatione Iona. Et ecce plus quàm Iona, hic.* Et illa mulier nos condemnabit, sicut & Samaritani, qui tam facilè conversi sunt. Fœlices qui eorum exemplo, & credunt, & confitentur quia hic est verè Salvator Mundi, à quo & gratiam accipimus, & gloriam speramus.*

Amen.



F E R I A S E X T A
 DOMINICÆ TERTIÆ
 IN QVADRAGESIMA
 CONCIO SECVNDA.

De adoratione Dei in Spiritu.

*Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem
 in Spiritu, & veritate. Ioan. 4.*

MIRABILIS planè Christus in tractandis sceminis quarum vitæ minus probata erat: Etenim erga omnes magnoperè mitis fuit ac mansuetus: qualis quippe erga Magdalenam, qualis erga Adulteram, qualis cum Chananaea, qualis cum Samaritana? Et advertit S. Hieronymus ex ijs quæ numerantur in Christi genealogiâ nullam non fuisse peccatricem, ut scires venisse potissimum ob peccatores: item ut scires inde vim gratiæ; denique, infirmitatem sexus magnam esse occasionem misericordiæ. Verum nescio an alicui majora patefecerit mysteria quàm Samaritanæ. Nos omnia exponere intra horam non possumus: hoc unum tantum exponemus verbis illis comprehensum: *Venit hora, & nunc est, quan-*

do veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Sed ante ad Virginem accedamus. AVE MARIA.

IN colloquio Christi cum Samaritanâ Muliere multa sunt quæ magnam mihi afferunt admirationem 1. admirabilis Christi zelus quod fatigatus ex itinere, sederet sic supra fontem; 2. Divinæ vocationis suavitas in quarendâ opportunitate; 3. Mirabilis benignitas in alloquendâ muliere & tam longo sermone, in erroribus ipsius, & fugis persequendis, in modo eam instruendi & inducendi ad confessionem; 4. Quod summa ei mysteria & res summas explicarit, quas ne ludæis quidem unquam aperuit: ut quod distinctè dixerit se esse Messiam; se aliam legem introdu-

roducturum; & alia similia plurima: 3. Successus, quod meretricem fecerit Apostolam. *Venite, & videte hominem, qui mihi dixit omnia quae unquam feci, nunquid ipse est Christus?* quam idcirco Chryostomus si tamen est author Homiliarum de diversis utriusque Testamenti, variè appellat sumptis nominibus tam ex veteri consuetudine & vitâ, quàm ex bono quod conversione accepit, modò τὴν πτωχὴν, καὶ πλεσίαν mendicam & opulentam: modò τὴν πόρνην, καὶ ἀπόστολον meretricem & Apostolam: nunc τὴν ἄσωτον, καὶ ὡσὴν. luxuriosam, & fidelem: nunc demum τὴν πολύγαμον, καὶ πολυδύναμον multis junctam viris, & multis viribus præditam. Sed omissis cæteris, de uno tantum agere placet, de quo Christus mulierem erudit, & quod omnium summum, & difficillimum puto: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate:* In quibus verbis, & summa doctrina continetur & summa perfectio. Incipiamus à doctrinâ quæ summam Religionis attingit.

Agitur itaque de bonâ & malâ Religione, ac de perfectissimo cultu qui significatur per adorationem: eaque erat illo tempore celeberrima quaestio inter Iudæos & Samaritanos, ut nunc inter Catholicos & Hæreticos de Eucharistiæ Sacramento.

Nota 1. Nominè Adorationis hoc loco intelligi non quamlibet actionem cultus & reverentiæ, sed sacrificium: nam ubique licebat Deum orare, & adorare, sed non licebat ubique sacrificare sed tantum in loco quem Deus elegisset: ut præcipitur Deuter. 12. *Ad locum quem elegeris Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis,* &c. ut diximus superiori concione.

Nota 2. Totam Religionis essentiam quoad cultum externum consistere in adoratione & sacrificio: Cùm enim Religio publica con-

sistat in aliquo cultu qui Deo soli tribuatur, nullusque sit cultus externus qui non possit communicari cum creaturâ, nisi sacrificium; sequitur essentiam Religionis consistere in sacrificio. Nam cum in Deo sint attributa quædam creaturis communicabilia, quædam incommunicabilia; quæ sunt communicabilia, honorari possunt in creaturis eadem honoris specie, quâ honorantur in Deo: Ita laudes & preces, adorationes externæ seu prostrationes, sunt coram Patribus, Dominis, Principibus, Sacerdotibus, Regibus, & ita passim in Scripturis legimus Davidem adorasse Ionathan, & eundem Davidem adoratum fuisse ab Abigail, Bethsabeâ & ab alijs summi honoris causâ: Quæ autem sunt incommunicabilia, habent etiam incommunicabilem honorem sibi respondentem: Ita summum in Creaturas dominium est incommunicabile, & proinde etiam honos ei debitus est incommunicabilis: Est autem sacrificium in quo agnoscimus Deum esse summum Dominum & primum essendi principium; unde in sacrificio consistit summa Religionis; & inde sequitur nullam esse posse Religionem sine aliquo sacrificio: Cùm enim hominum religio non sit eadem quæ Angelorum Religio, non tantum continet actus internos, sed etiam actum externum, qualis nullus assignari potest nisi sacrificium, nam omnis alius externus communicari potest cum creaturis: Cùm itaque nomine adorationis intelligitur certus cultus ad Religionem pertinens, oportet illum cultum, esse sacrificium; & cum demum hinc agatur de legitimo sacrificio, id est, quod fiat secundum leges & ritum à Deo præscriptum, sequitur quaestionem esse de verâ Religione.

Nota 3. Tunc temporis omnem Religionem, latè sumpto Religionis nomine, prout veram falsamque religionem comprehendit

(quilibet enim suam habet pro vera) fuisse tantum duplicem, Iudaicam & Gentilem: illam veri Dei; alteram falsorum deorum. Ad hanc pertinebat Samaritana, ut pote quæ præter verum Deum, coleret etiam Deos gentilium; Cùm enim gentiles missi essent in Samariam, & in locum decem tribuum translatum à Rege Assyriæ, totam illam Regionem incolerent, Deos patrios colere cœperunt, spreto cultu veri Dei: Sed cùm terra illa à Leonilus vastaretur, Salmanazar misit Iudæorū Sacerdotes qui eos legis Mosaicæ ritum docerent. Hinc factum ut Samaritani ita cultum Iudæorum admiserint, ut simul suorum deorum superstitionem retinuerint, & ita partim Iudæi partim gentiles fuerint. Sed cùm verus Dei cultus debeat esse purus & impermixtus, hinc etiam factum ut Samaritani inter gentiles censeantur, unde dixit nunc temporis duplicetantum fuisse Religionē, Iudaicā & Gentilē.

Nota 4. Cùm in multis dissentirent Iudæi à Samaritanis, ut de libris Scripturæ; nam Samaritani tantum libros quinque Moyſis recipiebant, & alios rejiciebant; in hoc præcipue certasse, scilicet de loco ubi liceret sacrificare. Cū n. Deus nō in omni loco permisisset sacrificiū, sed in eo tantū quē ipse elegisset; Iudæi in Templo tantum Salomonis sacrificandum cœsuerunt, ubi Deus in nebula apparuit, ubi erant summi Sacerdotes, & ubi Reges omnes Sancti sacrificarant; Samaritani autem in monte Garisim loco totius Samariæ eminentissimo prope Sichar templum ædificarant, in quo loco, Deo Israël sacrificia offerebant contententes eum esse locum quem elegisset Dominus, in quo primi Iudæorum sacrificassent, nempe Abraham & Iacob; refert enim Chryſost. Homil. 31. traditionem sui temporis fuisse illum esse montem in quo Abraham filium suum Isaac immolare tentavit. Deinde in eodem monte, Iacob rediens ex Mesopotamia, Dominum adoravit: uti dictum Genes. 33. un-

de sic loquitur Mulier Samaritana. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet?* Fui. q. controversia continua & per molesta inter Iudæos & Samaritanos uter locus esset ad rationis: Et hanc quæstionem quasi celeberrimā & maximē communem, proposuit Christo mulier Samaritana cùm eum Prophetam esse deprehendisset ex vitæ suæ manifestatione.

Nota 5. Christum sic suam responſionem temperasse, ut ostendat præferri Iudæos Samaritanis, itaque solvat propositam quæstionem: *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est:* Id est, Iudæorum cultus ex fide vera est, quia unicū credit esse Deum, uti verè est: Samaritanorum cultus ex infidelitate & errore ac ignorantia est, quia non habet veram de Deo fidem: Quamvis enim Deū Israël Deum esse credat, tamen cum eo multos recipit Deos, qui autē unicū Deum ignorare dicitur, quia verè de Deo non sentit: præstat ergo Iudæorum cultus cultui Samaritanorum, sicut fides infidelitati, & veritas præstat errori. Nec mirum quod penes Iudæos sit veritas, quibus promissio facta est Messiæ, à quo salus omnis originem ductura est & emanare debet veritas, ipse enim illos primò instruet, deinde mittet ex ijs qui instruant cæteras gentes secundum illud Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem.* In ipsisigitur vera Dei cognitio, 2. ut ostendat ex venturo perfecto cultu, & religione perfecta, utramque religionē abolendam: unam quidem ut falsam; alteram, ut imperfectam. Certè Samaritanorum religio falsa fuit; unde Christus, *Vos adoratis quod nescitis;* quia scilicet falsi dijs sacrificabant: Iudæorum vero falsa non fuit: unde Christus, *Nos adoramus, quod scimus; Quia salus ex Iudæis est:* Sed tamen fuit imperfecta; unde & abolenda: propter infirmitatem, ait Apostolus; & idèd ait Christus, *Mulier crede mihi, venit hora,*

hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem : Vide triplicem prophetiam, primò abolendam idololatriam; 2. finiendam legem Iudaicam; 3. stabiliendam veram Religionem, quæ unica erit vera, unde subdit, *Venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate* : itaque cessabit illa contentio, nam neque erit adoratio in illo monte, quia cessabit Idololatria, ut prophetatum est Michææ 1. *Omnia idola eius ponam in perditionem* : Isaia 2. *Elevabitur Dominus solus, & idola penitus conterentur* : Neque erit adoratio Hierosolymis, nam Psal. 39 *Sacrificium oblationem noluiisti, aures autem perfecisti mihi, tunc dixi, ecce venio* : Itaque orietur tertius cultus, ait enim *adorabitis Patrem*, non in uno loco, sed ubique. *Quia venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem, in spiritu, & veritate.*

Nota 6. In illis verbis indicati utriusque Religionis defectum, & summam perfectionem Religionis stabiliendæ. Nam Religio Samaritanorum, non fuit in veritate sed in falsitate, & ignorantia; adorabant enim quod nesciebant, quia de Deo non rectè sentiebant. Iudaorum Religio non fuit in spiritu; sed eorum adoratio fuit in rebus corporalibus quæ erant umbrae & figuræ futurarum: omnia enim illa animalium sacrificia, ceremoniæ, & ritus, instituta erant à Deo, & data illis, tanquam futurorum figuræ & signa: Veritas itaque contra falsa dogmata; spiritus contra umbras & figuras, quæ apud Iudæos erant in rebus corporalibus & tot sacrificijs: Gentilis itaque cultus relinquitur propter errores Iudaicus propter figuras, & loco utriusq; inducitur Christiana Religio; quæ utrumque habuit ut esset in spiritu & in veritate: nam veritatem habet, rectè enim sentit de Deo; & servit in spiritu, nempe non in figuris, & umbris sed in Spiritu sancti gratiâ, & operibus

hinc prodeuntibus, fide, & charitate, & alijs actionibus externis virtutum, qui à Spiritu Sancto procedunt: Non itaque per spiritum excluduntur actus externi & opera, quando fiunt & procedunt ex interiori spiritu, fide, dilectione & gratiâ, sed excluduntur opera quæ ad hoc instituta sunt ut essent figura futurorum, qualia erant opera legis, quæ licet fieri possent ex gratiâ, non tamen præcipiebantur ut opera prodeuntia ab interno, sed ut essent signa futurorum, *umbram enim lex habet futurorum bonorum* non ipsam imaginem rerum.

Nota 7. Rationem fundamentalem, cur utraque Religio Gentilium & Iudæorum esset abolenda, tactam esse in his verbis, *Spiritus, est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare* : Significatur enim adorationem debere esse convenientem Deo, ut sit aliqua proportio inter eum qui adoratur, & adorationem quæ colitur: Itaque non debere esse falsam, sed in veritate: neq; enim falsus Deus adoratur, sed verus; ad hæc si in adoratione est falsitas, mala est, itaq; non est Deo conveniens: Item non merè corporale, quia Deus Spiritus est hoc est incorporeus, & imaterialis: oportere igitur eam esse spirituale, & ab animo suâ originem habere, & proinde non debere consistere in rebus corporeis, & materialibus. Quod autem eiusmodi corporalem permisit Deus, in veteri lege; id fecit, habitacione imbecillitatis adoratorum: sed quia non decuit Deum sic semper adorari, propterea ille cultus rejectus est, & alius subintroductus in spiritu. Itaq; nisi actiones, & operationes hominis exteriores ex spiritu procedant, hoc ex fide, dilectione, & gratia non sunt Deo grata neque conveniens adoratio: at sic ex spiritu eam procedant, spiritualis adoratio sunt: sit enim spiritualia sunt in suo principio, & radice, seu causa, & quam habent proportionem cum Deo qui Spiritus est. Illa itaque antiqua & corporea sacrificia, non satisfac-

faciebant, quia non convenientia; placere tamen ad tempus futurorum erant figura: quò jam sublato, nec placent nec placere possunt: non placent quia jam falsa: nec possunt, quia merè corporea: Ieiunia autem, Eleemosynæ, & similia corporea, ut sunt sacrificij ceremoniæ placent ratione principij, quia ex fide & charitate procedunt: unde spiritalia sunt ratione principij, & inde quandam habent cum Deo proportionem. *Spiritus enim est Deus & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.*

Haecenus de doctrinâ. Quæ sequuntur ad vitæ spiritalis perfectionem attinent, & duo vitæ spiritalis principia comprehendunt: Primum pertinet ad adorationem in spiritu; alterum ad adorationem in veritate: etenim *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* De 1. nunc dicturi sumus; de altero fortasse dicemus alio die.

Sed antequam de primo dicere incipiam, ut intelligamus quid sit adorare in spiritu; Adverte spiritui corpus opponi, & sic diversas utrique convenire proprietates. Cum itaque corpori conveniat omnimoda limitatio; (etenim corpora certis quibusdam corporum seu locorum temporum spatiis continentur, proinde quoad tempora ortum habent, & interitum, & suas ætates, juventutem senectutem, & similes temporum differentias; eodem modo certis locis continentur in quibus tantum conservari possunt:) Spiritus contra propriè limitationem non habet, ut qui neque loco neque tempore verè continetur. Ita Sanctus Maximus ut diximus aliàs dividit virtutes in corporales & spirituales, secundum illud Apostoli. *Corporalis exercitatio ad modicum valet: pietas autem ad omnia utilis est,* quare corporales vocat *ἡρώδεια*, id est, necessitati subjectas, quia pluribus modis, atque rationibus impediri possunt, ita ut qui eas non habeat excusetur; spirituales au-

tem vocat non subjectas, qualis est pietas, quæ nec impeditur potest ut habeatur, nec ille excusari qui non habet. Ita non omnes possunt jejunare, nec dare eleemosynam; sed omnes parcere possunt, omnes habere charitatem possunt & mansuetudinem His positis.

Assero vitæ spiritalis principium esse, ut anima Deum adoret in spiritu, hoc est sine ulla limitatione, nihil excipiendo, nihilque sibi retinendo, neque in rebus, neque in personis, neque in objectis.

1. Ratio est. Quia omnis professio sanctitatis sine ulla voluntate mera est irritio. 1. Quia sanctitas est virtus consummata quæ impeditur ab ea voluntate quæ obicem ponit: uti enim minimus pilus umbram facit, ita minima rei retentio consummationem sanctitatis impedit. Hinc originem habet dictum illud commune Patrum spiritalium, res parvas, immò vel unam non esse negligendam: Siquidem ut ait Chrysostomus, homil. 8. in 1. Cor. ex parvis magna dependent: corpus enim si ab ense accepit disjunctionem, interibit: & ædificium, si vel parum dehiscat, dissolvitur: & palmes si à radice parum fuerit abscissus, fit inutilis: quamobrem hoc parum non est parum, immò verò est ferè totum. 2. Quia sanctitas non est sine charitate, quæ Deum super omnia diligit. 3. Quia dum aliquid excipis, occurret aliquod objectum exceptum, quod erit sufficiens, ut aliquis gratiam amittat: Tum quia nullum est objectum, quod sub aliqua virtute non sit, quæ omnis, in aliquo saltem casu, obligat sub mortali: Tum, quia nihil facilius fit, quam ut ex aliqua circumstantia, materia fiat gravis, unde nascatur obligatio sub mortali: Denique quoniam virtutes sic sunt connexæ inter se, ut sæpe una propter aliam obliget, unde fit, ut quæ separatim sumpta, sunt tantum in consilio, existant in præcepto ratione aliorum quæ præcepta sunt: ut quis obligari potest ad jejunium, si aliter castita-

castitatem servare non potest : & in aliis multis.

2. Ratio est. Quia ea est natura virtutis, ut imitetur principia speculativa, & propositiones aeternae veritatis, hoc est ut habeat universitatem respectu omnium temporum, omnium locorum, omnium objectorum, omnium modorum; est enim constans & perpetua bene operandi ratio: quâ notâ distinguere potes veram virtutem à falsâ. Sic ille non est humilis, qui se aliquibus tantum postponit, sed non omnibus; nec ille patiens qui aliqua pati potest non alia; nec ignoscit ex virtute qui quaedam parcit, & quibusdam, sed non quilibet, nec cuilibet; item non ille studiosus qui in prosperis virtutem sectatur non autem in adversis; in certis rerum successibus, non in omnibus; Virtus enim est illimitata, neque temporum, nec personarum, nec objectorum facit discrimen.

3. Ratio petitur ab exemplis. 1. est in duobus naturæ primogenitis, in quibus jacta sunt duplicis civitatis fundamenta; in Abele Prædestinatorum; in Caino, Reprobatorum. Quid putas sic germanos discrevit nisi allatum principium? Audi quid de utroque dicatur 4. Genel. De Caino enim dicitur *quod bene offerret, sed male divideret*, uti legunt 70. Interpr. Etenim sacrificiâ res fuit sanctissima: quia verò quod deterius erat, offerebat, ac sibi meliora servabat, idèd ei dicitur *quod male divideret*: Nam cum Deo dividere impium est, cum ad eum omnia pertineant. De Abele autem sic scribitur *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*. Certè in qualitate sacrificii ostendit quid de Deo sentiret: quod enim omnia uno sacrificio non offerret, id causæ fuit, quòd singulis diebus offerre vellet. Unde discrimen, acceptationis utriusque coram Deo: *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain vero, & ad munera illius non respexit*. Hinc unius electio, alterius verò reprobatio.

Alterum exemplum est duorum Regum, Davidis & Saul quorum, vita dissimilis, & dispar exitus ex hoc principio distinguuntur. Etenim Saul hoc habuit, quod nunquam se totum DEO addiderit, sed malignè, & cum exceptione: unde de illo negat Gregorius implevisse unquam factam de ipso prophetiam. *Et mutaberis in alterum virum*: Etenim (ait) semper in eo aliquid vitæ prioris remansit. De Davide autem ita loquitur Scriptura 1. Reg. 13. *quæsvit sibi Dominus virum juxta cor suum*: Et Act. 13. *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Id in utriusque unctiōne præsignificatum fuisse advertit S. Gregor. Sic enim unctio Saulis exprimitur 1. Reg. c. 10. *Tulisti taquæ Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus*: audi Greg. Lenticulâ Saul ungitur ad exprimenda futura: lenticula quidem parvum est vas: quid ergo est quod lenticulâ olei Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur: velut enim lenticula, parum olei habuit, qui spiritualem gratiam projiciendus accepit. Hæc ille. Idem ait contingere in iis qui in charitate perfecti non sunt: quendam enim affectum charitatis habent, sed plenitudinem ejus non habent. Illa ergo rudis, & imperfecta mentis affectio, quid est nisi lenticula olei? nam dum ungit caput, & non replet, tota quidem effunditur, sed parùm exhibet. E contrariò verò cum ungendus fuit David in Regem, audi quid dicat Scriptura 1. Reg. 16. *Impl. cornu tuum oleo, & veni ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi Regem*: Vide, ait Gregorius, plenitudinem unctiōnis. Et alibi. Cornu pleno ungitur qui ad summum gradum perveniunt cum plenitudine gratiarum. Cernis itaque in Saule restrictionem, in Davide plenitudinem: & consequenter in Saule reprobationem, in Davide electionem ac prælationem. Sed patet reipsâ impletum quod fuerat unctio-

unctione præfiguratum; duplex enim in Scripturâ traditur causâ reprobationis Saul, utraque verò propter aliquid exceptum.

Prima præscribitur 1. Reg. cap. 13. Præceperat Samuël Sauli post unctionem, ut iret in Galgala, ut offerret victimas DEO: iussit autem ut se septem dies expectaret: *Septem diebus expectabis donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias*; Itaque secundum placitum Samuëlis iuit Saul cum exercitu in Galgala; & quanquam undique ab exercitu hostili cingeretur, usque ad septimum diem Samuëlem expectavit; sed cum Samuël moraretur, & exercitus Saulis præ tædio & expectatione dissolveretur ac paulatim dilaberetur, paulò ante finem septimæ diei, Saul ut populum abeuntem detineret, sacrificium obtulit Deo; quo peracto statim adfuit Samuël, quem cum Saul salutare vellet, iratum sensit atque indignantem: *Quid fecisti? Respondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, &c. necessitate compulsus obtuli holocaustum*; Dixitque Samuel ad Saul, *Stultus egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, qua præcepit tibi. Quod si non fecisses, &c.*

Nota 1. Saulem maximâ ex parte Samuëli obedisse, minimâ parte non obedisse: Etenim præter cætera mandata quæ scribuntur in cap. 10. quòd ad istud ultimum attinet, perrexit in Galgala; & sex dies integros & pluraquam medium septimi expectavit; verum tantum temporis non expectavit, quantum necessarium fuit ad sacrificium: ait enim textus, *Cumque compleisset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat: Quis non leve illud credidisset, actionem sanctam exiguâ temporis parte prævenisse, idque Regem, & in tantâ rerum angustia?*

Nota 2. Saulem multas habuisse excusationes. 1. est, quòd populus dilaberetur. 2. Quòd non speraretur Samuel. 3. Quòd ingru-

erent hostes. 4. Ipsa religio, quòd non placatus Dominus. 5. Ipsa necessitas quæ omnia excusavit: *necessitate compulsus obtuli holocaustum.*

Nota 3. Hoc factum sic Deo dupliciuisse, ut hinc fuerit radix reprobationis Saulis: ut è contrariò hæc pars exigua obedientiæ, unica erat conditio confirmationis ipsius in regno; unde ait, *Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum ultra cõsurget*; Vide quanti fuerit tam exigua pars temporis, quæ æternitatem regni amisit.

Nota 4. Quale Samuël de hoc facto iudicium habuerit. 1. vocat stulticiam, *Stultus egisti*. Quia qui tot dies expectasset, non potuerit unquam horam expectare; unde Sapiens Ecclesi. 2. *Vanis qui perdidit sustinentiam*: quæ de re Gregorius: Sustinentiam quidem perdunt, qui bona quæ inchoant, non consummant: 2. vocat inobedientiam, quasi nihil fecisset, *Nec custodisti mandata Domini Dei tui qua præcepit tibi*: Illam autem inobedientiam sic exprimit Gregorius: Quia integris septem diebus, sicut iussus fuerat, non expectavit; unde subdit, *Quo in loco trementi corde considerandum est, quàm brevissimi temporis expectatiõne neglectâ, repulsus sit. Sanè vides quòd dixi, quantum intersit, nil cum Deo excipere*; unde subditur de Davide, *Quasi viti sibi Dominus virum iuxta cor suum*: quòd si ex tanto tempore unius partis exceptio, cum tot adessent excusationis prætextus, reprobationem attulit, quid de aliis exceptionibus cum Deo togitari potest, quæ sæpe majores sunt & graviores.

Sed vide alteram atque ultimam reprobationis Saulis causam: scribitur illa 1. Reg. capit. 15. ubi Dominus per Samuëlem Sauli præcipit ut exercitum moveat contra Amalec, eumque destruat, sed hæc lege; *Nunc ergo vade, & percutite Amalec, & demolire universa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus*

ipsius aliquid: sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactantem; bovem, & ovem, camelum, & asinum: Audisti præceptum: vide promptam executionem; Etenim Saül conflato ingenti exercitu supra ducenta millia, Amalecadorfus est, ac debellavit. Sed vide perpetuum Saülis malü: semper aliquid excipit in sua obedientia. Etenim cum jussus esset omnes interimere. *Non parcas ei, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactantem:* quid Saül fecerit subdit textus, *Et apprehendit Agag Regem Amalec vivü: omne autem vulgus interfecit in ore glady:* Item cum jussus esset omnia pergere, & animalia etiam interficere, *Demolire universa ejus, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid:* quid subdit textus? *Et peperit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ovium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt.*

Nota 1. Saülem maxima ex parte satisfecit se præcepto: Etenim unum Regem servavit, cæteros interfecit: itam meliora tantum reservavit, quæ paucissima erant; cætera autem omnia disperdit.

Nota 2. non caruisse prætextu. Nam uni Regi peperit, non de industria, sed cum vivum cepisset; videbatur autem eradele non ei parcere, quem etiam belli furor non attigisset: nec decens videbatur à non irato Regem interimere: adde quod conditio Regia id mereri videbatur: Denique accesserat suffragium populi, secundum illud, *Et peperit Saul & populus Agag:* Quo ad cætera quæ reservata sunt, idè servata ut Deo consecrarentur, & id populi fuerat studium, unde Samuëli conquerenti, cur ea essent servata, respondit Saul, *Peperit populus melioribus ovibus & armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus:* ac ut scias non mentitum, cum venisset Samuël, ait textus de Saüle, *Et Saul of-*

ferabat holocaustum Domino de inityis prædantium quæ attulerat ex Amalec: Vnde Saul credidit se satisfecisse præcepto Dei, itaque gratulabundus venienti Samuëli occurrit dicens, Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini, adeo non existimavit se præterijisse.

Nota 3. Deum & Samuëlem aliter judicasse de hoc facto Saülis: quare post exprobrata ei beneficia, & appositum mandatum interficiendi Amalec usque ad internecionem, subdit, *Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?* unde rejectis ipsius excusationibus, docet non requisivisse Deum ab eo hostias, sed obedientiam; *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ:* Et auscultare magis quam offerre ad ipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi, est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Vocat inobedientiam, quod mandatum ex omni parte non impleverit: unde subditur consummata Saülis reprobatio: *Pro eo ergo quod abieisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex:* & ut scias reprobationem consummatam, *Porro triumphator in Israël non parcat, & pœnitentia non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam:* Itaque eum Samuël deserens, *conversus est ut abiret: Ille autem apprehendit summitatem pallij ejus, quæ & scissa est:* *Et ait ad eum Samuël: Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud in proximo tuo meliori te:* & quanquam ad tempus eum secutus sit rogantem ut se honoraret coram populo, statim tamè deseruit; & ut ait textus, *Et non vidit Samuël ultra Saül usque ad diem mortis sue; veruntamen lugebat Samuel Saül, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum Regem super Israël.*

Ex quo facto insigne habes exemplum ejus rei qua dixi; periculosissimū esse cum Deo aliquid excipere, nec se totum Deo tradere.

Quòd verò pauci sint qui id faciant, hinc patet quòd cū in Regno Judæ viginti fuerint Reges, & novendecim in regno Iſraëli, de paucis tamē dicitur quod rectum fecerint coram oculis Dei, sed ex maxima parte dicitur, *fecitque malum in conspectu Domini*. De alijs autem qui rectum fecerunt coram oculis Domini, id ferè semper dicitur cum aliqua exceptione. 1. Itaque quàm præclara dicuntur de Salomone qui & amabilis Deo dicitur, subditur tamen Eccli. 47. *dedisti maculam in gloria tua*, 2. Laudatur Asa 3. Reg. capite 15. sed subditur, *Excelsa autem non abstulit*: 3. Jolaphat commendatur capite 22. *Ambulavit in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea, fecitque quod rectum erat in conspectu Domini*: deinde subditur *Verumtamen excelsa non abstulit, adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis* 4. Joas commendatur 4. Reg. 12. *Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jozada Sacerdos*: sed vide restrictionem, *Verumtamen excelsa non abstulit, &c.* 5. Idem de Amasia scribitur 4. Reg. 14. *Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus, &c. Excelsa non abstulit, &c.* 6. Idem de Azaria capite 15. Idem de Joathan ibid. Sed quid singulos commemoro, cum de universis scriptum sit Eccli. 49. *Præter David, & Ezechiam, & Josiam omnes peccatum commiserunt: Nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda, & contempserunt timorem Dei. Dederunt enim regnum suum alijs, & gloriam suam alienigenæ genti*: Et tamen ab illis etiam tribus exceptum aliquid Scriptura sancta agnoscit: Etenim ut à Davide initium duamus: eum 3. Reg. capite 15. sic de eo dicitur, *fecisse rectum in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus qua præceperat ei cunctis diebus vita sua*, subditur, *excepto sermone Uria Hethæi*: unde ista exprobratio 2. Reg.

12. *Ego unxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, &c. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo*. De Ezechia mita prædicantur 4. Reg. 18. 19. & 20. Et 2. Paralip. capite 29. 30. 31. & de eodem tamen additur capite 32. *Sed non juxta beneficia quæ acceperat retribuit, quia elevatum est cor ejus, & facta est contra eum ira, & contra Judam, & Jerusalem*. Josiæ laudes sunt innumeræ in pluribus Scripturæ locis: tamen de illo dicitur 2. Paral. cap 35. *Non acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei*: unde ibid. dicitur ejus opera prima, & novissima propter dissimilitudinem: itaque obiit in acie, atque Jeremiæ magnum luctus argumentum reliquit: ex quibus exemplis liquet paucos admodum se ex toto Deo dedisse.

4. Ratio petitur ex qualitate Majestatis Divinæ quæ universitatem habet in omnibus. Nam ejus potestas est omnipotentia; ejus scientia; thesauri omnes sapientiæ; ejus duratio, æternitas; extensio, immensitas; vita, immortalitas; perfectio, infinitas. Cur itaque qui in omnibus est infinitus, in sola nostri possessione limitatus erit, atque finitus? Pudeat homines Deo limites ponere.

5. Ratio petitur ex imbecillitate nostræ: Ut non diminuamus nostrum obsequium: nam quod velle possumus, quàm exiguum est? quòd si Isaias magnitudinem Dei contemplatus, & augustos orbis fines, sic discurret cap. 40. *Ecce gentes quasi stilla situla, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt*: Chrylsto, expendens, post varias nationes enumeratas, subdit, *dic mihi quæso, quora pars es hujus guttulæ? Jam ex te si aliquid tibi reserves, quid tandem erit reliqui? Pudeat hominem tam exigui cordis, ut vix accipit rem pascere possit, de tantulo aliquid eximere. Quid dicam quod tam exiguo tempore sumus? Nascimur post æternitatem, & post tam multa sæculas*

saecula : Tam exiguo tempore sumus , eo-
que tempore , tam multum decerpit infantia
tam multum necessitas. Vide quid superfit:
si excipis autem , quid Deo superest?

6. Ad id nos obligat quod petimus , &
speramus à Deo quoad gratiam quidem , si
Deus mihi daret tantum gratias sufficientes,
sed negaret efficaces , quid mihi prodesset?
Si daret efficaces tempore pacis , sed non
tempore tentationis ? Si ad faciles tentatio-
nes , sed non ad graves ? Si ad graves invi-
ra , sed non in morte ? Si in morte quidem,
sed tamen si negaret perseverantiam quid de
me fieret? Iam quoad gloriam. Certè si cætera
nobis daret, non se, non essemus contenti : &
si unam in Trinitate personam videremus du-
abus aliis occultatis , nec sic nobis satis esset.
Quid igitur nos dividimus in partes , ut nos
Deo divisos offeramus? Tibi Deus diminutè
datus non satisfacit , non si daret unius sui a-
tributi possessionem , aliorum negaret; & vis
Deum te dimidiato contentum esse; vide si in
eo factò, sit æquitas, & iustitia.

7. Gravissima planè injuria Deo irrogatur
1. ut aliquid cum Deo compares: 2. quod ali-
quâ ratione creaturam ei præponas: ac de
prima injuria conqueritur Isai. 40. *Cui assi-
milastis me, & adæquastis, dicit Sanctus*: hoc
autem fit in exceptione: 2. verò sic contingit,
non quidem ut absolute creaturam præ-
feras Deo, uti fit in peccato mortali, quò
anima faciliùs caret Deo, quam Creaturâ:
sed quòd saltem creaturam præfert perfectio-
ri possessioni illius, seu singulari ejus benevo-
lentia, quæ res cedit in Dei contemptum.
Adde quod homo eâ ratione existimet Deum
sibi non sufficere illius rei loco quam excipit,
cum tamen Deus per se suppleat defectum e-
jus rei quàm causâ ipsius deserimus.

8. Impossibiles nobis reddimus actus amo-
ris & contritionis secundum eam latitudinem
secundum quâ fieri possunt, quoniam aliquid

semper excipimus. In quam rem nota quædã
esse quæ omninò amorem, & charitatem in
Deum perimunt, ut sunt peccata mortalia; quæ-
dam quæ fervorem imminuunt, ut sunt veni-
alia; quædam quæ amorem indicant imperfe-
ctum; unde existunt varij in amore gradus:
sumus ille est, qui nihil omninò excipit, prop-
ter amplitudinem, & universalitatem.

9. Periculosissimus est ille status 1. Quia
quod excipitur, potest esse in præcepto, vel
propter se ipsum deinceps præcipiatur, vel
propter aliquid ad quod erit necessarium: 2.
Quia uti ponitur terminus ei voluntati quâ
Deo vult anima gratificari; ita Deus ponit ter-
minum gratijs quibus vult adjuvare. Id enim
pertinet ad æquitatem justitiæ, ut ergo nos ita
se gerat, uti nos erga illum: Itaq; multa de-
negat auxilia extraordinaria, ex quorû denegatione
sequitur damnatio. Eò pertinet quod dicit
Psalmista, *cum bono bonus eris; & cum per-
verso, perverseris*, & illud justitiæ Divinæ planè
convenit. Hinc autem sequitur plurimorum
damnatio: nam cum necessarijs tantum gra-
tjjs adjuventur, hoc est sufficientibus, meritò
privantur efficacibus, cum quibus tamen solis
obtinetur salus, sine quibus non obtinetur.

10. Status ille proxima est dispositio ad
peccatum mortale: Vbi enim semel genera-
le illud principium extinctum est, nihil esse
Deo æquandum, nihil proponendum, neque
ambigendum an aliquid ejus causa relinque-
ndum sit; superest ut in particulari fiat compa-
ratio creaturæ cum Deo: itaque si creaturæ
simus addicti, si nostitillet, si placeat, si ne-
cessaria videatur, si affecti fuerimus, Deum
facile deseremus, 2. id potissimum in nobis
animadvertendum est ut nullum habitum ma-
lè agendi contrahamus, qui ex mutatione tantum
subjecti, & materiæ nos in rem prohibitam &
mortalem deducat; nam ex facilitate operan-
di in communi, facile negligetur materiæ
singularitas. Ita qui in re levi facile menti-

tur id non ægrè faciet in re gravi. Ita qui creaturam Deo præfert in re aliquâ leviori, id facile facit in re gravi. His rationibus sequentes considerationes subnecto.

1. Consideratio. Videndum quid sit illud quod excipimus, cum Deo tractando, quominus perfectè, & ex toto, ad eum pertineamus, sive illud extra nos sit, sive in nobis; sive ad corpus, sive ad animum pertineat: neque enim idem omnes excipiunt, sed aliqui plura, alij pauciora, aliquis fortasse unum aliquid: hic honorem, ille sanitatem; hic inimicitiarum condonationem, hic libertatem, aut aliquid aliud.

2. Consideratio. Vbi illud deprehenderimus, pensandum quàm sit illud exiguum: & quàm sit indecens, atque præposterum, ut propter illud, Deo non simus: & quo pudore in morte afficiemur, cum illud obijcietur nobis; eò usque à nobis Deum fuisse contemptum, ut illo potiùs carere elegerimus quam illâ Creaturâ.

3. Consideratio. Cùm illâ re nobis aliquando carendum sit, licet invitis, ac sine fructu, saltem in morte; nonne satius est nunc illud nostrâ sponte Deo offerre, & ex rebus omnibus perfectum simul holocaustum?

4. Consideratio. Ad Dei Providentiam pertinet ne illius rei possessio ipso invito, nobis sit aut facilis, aut jucunda, aut diuturna. Id quotidie experimur: Hinc existunt in amicitijs, ac familiaritatibus innumeræ perfidia: hinc casus multiplices accidunt, Deo per vim faciente quod nos sponte facere recusamus.

5. Consideratio. Rem illam componendam esse cum Deo, ac videndum, nùm Deus illius defectum per se supplere possit. Hæc comparatio duobus modis fieri potest vel absolute, & universaliter; & ita dubitare nemo potest nullam creaturam ullo modo Deum æquare posse, sed neque etiam cum eo componi, & comparari propter infinitam distan-

tiam: quæ enim sic distant comparabilia non sunt. Vel singulariter & in quodam genere institui potest comparatio, & in eâ nemo est qui dubitet quin Deus vincat. Nam

Nota 1. Omnia in Deo præexistere, quæ sunt in Creaturis siquidem ut ait Dionysius, Deus est causa omnium universalissima omnia in se præhabens, & anticipans: unde creaturæ sunt tantùm Divinæ naturæ participationes, & quidam quasi defluxus ἀπορροιας vocat Trismegistus.

Nota 2. Perfectiones omnium Creaturarum ita in Deo præexistere ut in ipso sint perfectiores quàm in ipsis Creaturis, sive in Deo contineantur eminenter, sive formaliter, etenim in Deo originaliter continentur: ad hæc secundum omnem gradum, denique substantialiter, & diverso in ordine. Hinc itaque vide an non jure dixerim, Deum ejus creaturæ, quam ipsius gratiâ deseris, defectum supplere: præsertim cùm in eâ re duo spectari possint, ipsa rei perfectio, & perfectionis participabilitas: jam verò perfectio semper in Deo sit major, ipsa quoque participabilitas longè plenior: nulla enim substantia participari propriè potest nisi Deus cui convenit illud τὸ μετέχον, ut ait Didymus hoc est participabile. Vide itaque an non Deus tibi esse possit loco honoris, loco libertatis, loco divitiarum, loco scientiæ, loco amici, loco voluptatis.

6. Consideratio. Nos carere Deo sub eo titulo in quo creatura habet aliquam perfectionem. Adverte Divinam Essentiam esse infinitè perfectam, illam autem infinitatem explicari optimè per gradus infinitos virtuales. 2. item per infinitas participabiles; unde existunt infinitæ creaturæ possibiles perfectiores in infinitum, instar numerorum qui sese invicem singularibus excedunt unitatibus. 3. Per infinitas visiones alias alijs perfectiores, unde varij beatitudinis gradus,

as, propter varias visiones quæ semper ad aliquid in Deo terminantur: 4. per diversas possessiones illius essentia quæ diversis titulis possidetur à singulis beatis, sub quibus aliis non possidetur: Hinc fit ut Virgines Deum sub titulo Sponsi possideant, quod non facient, quæ matrimonio junctæ fuerint: Ita qui propter Deum regno se abdicarit, Deum instar regni, & coronæ possidebit: Ita qui propter Deum opibus renuntiavit, is Deum possidebit sub titulo divitiarum: & ita in reliquis. Hinc facile intelligitur quod à me dictum est, eum qui aliquid propter Deum deserere noluerit, Deum amittere sub eo titulo, itaque minus possidere, cum sub eo titulo non possideat: in quo enim magnam facit jacturam:

Etenim Deus pulchrior est pulchris, dulcior dulcibus, ditior divitibus, & in universum major est peculiari dignitate, quàm res illæ quibus carere nolumus; unde qui rebus omnibus propter Deum caruerit, omnia in Deo habebit, experieturque quod ait Apost. de Deo in Beatis *esse omnia* in omnibus: adè ut in æternum dicere possit, Deus mihi loco voluptatum, loco libertatis, loco honoris, loco amicorum, loco parentum, loco scientiæ, Deus meus, & omnia. O quæ felicitas! &c. Profecit ille nimis avarus est, cui Deus non sufficit. S. Cyprianus Serm. de Ascens. Sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus in hac vitâ sufficiat, & in æternâ sufficiet. Amen.



FERIA SEXTA

DOMINICÆ TERTIÆ
IN QUADRAGESIMA.

CONCIO TERTIA.

De adoratione Dei in veritate.

Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Joan. 4.

RECTE advertit S. Chrysoſt, eam mensæ reliquias vobis (ait) apponimus, sed esse differentiam inter res spirituales & corporeas, ut rerum corporearum pars non sit æqualis toti, spiritualium autem pars toti sit æqualis. Hæsternæ itaque

mensæ reliquias vobis (ait) apponimus, sed videte ne contemnatis, quia reliquias diximus nam non sunt minores toto. Id videmus in hodierno convivio, nam quod proponitur initio, quinque sunt panes, quod post

convivium colligitur sunt duodecim cophini. Date id mihi, Auditores, ut quod S. Ille Ecclesiæ Græcæ Doctor suis agebat, idem ego vobis hodie aut simile quid usurpem. Meministis quid nuper vobis proposuerim, ex quo tanquam cōvivio cū mihi plurimum restet, id vobis hodie appono: in quo nihil minus contineri videbitis, quam in primo sermone. Sed sicut in primâ parte necessaria nobis fuit gratia, sic & in istâ ut solemus, noster recursus ad B. Virginem existit. **A V E M A R I A.**

MULTA sunt ob quæ humana hæc vita theatralis actio videtur; sed ob illud maximè, quod igitur qui agunt in theatris, personati agunt, unde actores personæ dicuntur, omnes enim sunt simulato, habitu, aliud quippè præ se ferunt, aliud occultant, & tantum post scenam persona deponitur: Ita in hæc vitâ nihil minus sunt homines quam quod apparent, ac ferè persona & simulatio non nisi in morte deponitur. Quod cū in omnibus verissimum sit, certè maximè in virtute, modoque serviendi Deo: de quo fuit Samaritanæ interrogatio, cū à Christo quæsitum, quæ tandem verâ esset religio, Iudæorumve an Samaritanorum, an in morte Garisim facienda esset adoratio, an vecò Ierosolymis. Scitis quid responderit Christus: venturum illud tempus quo utraque religio esset abolenda: Deum quippe qui Spiritus est, in spiritu & veritate adorari oportere. Quid sit adorari in spiritu ostendimus, superest ut de oratione in veritate dicamus.

Sicut nuper diximus, Spiritum opponi corpori, ita veritatem dico opponi mendacio: & sicut cultus in spiritu, est qui habet illimitationem, cū corpus spiritui oppositum limitationem habeat; ita adorare in veritate, quod omne mendacium excludit, dico esse eo cultu adorare qui omnem fictionem excludat & omnem hypocrisim; & si quidem fuerit in doctrinâ & significatione,

omnem umbram & figuram; si in moribus, omnem simulationem. Porro cum hypocrisies aliæ sint crassiores, aliæ vero subtiliores ac magis delicatæ, ex earum enumeratione facile patebit, paucos esse admodum qui ab omni specie hypocrisis, sint liberi, & qui possint jactare se verè Deo servire in Spiritu & veritate: *Ego dixi, in excessu meo omnis homo mendax.* De crassioribus tantum hodie dicturi sumus de quibus Christus Scribas & Phariseos passim in simulavit; sed præcipuè in cap. 23. Matth. unde omnia petemus.

I. Itaque crassioris hypocrisis genus est, eorum hominum, qui vanitate agunt omnia, nihilque in actionibus suis nisi gloriam & approbationem hominum quærunt, secundum illud Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Quod ex rebus omnibus gloriam quærerent, id probat duobus rerum minimarum exemplis, scilicet phylacteriorum, & fimbriatum, quasi velit, ex rebus minimis, maximas intelligi: Nam qui in fimbriis & phylacteriis gloriam captabant, quid in rebus majoribus facturi erant? Significat itaque nullam captandæ gloriæ occasionem eos præterisse: Ita enim ostendebant se esse observatores legis exactissimos ex iis rebus quas adhibebant ad legis memoriam sibi refricandam; nam phylacteria sunt membrana in quibus legum capita scribebantur; illa autem habebant amplissima, tum ut plura scribi possent, tum ut longius viderentur: fimbriæ autem in imâ veste erant & illas habebant longiores ut longius apparerent.

Certè ejusmodi homines imitantur Gentiles qui pro Deo creaturas adorarunt, secundum illud Apostoli Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium;* quod faciunt qui operibus bonis externis vanam gloriam quæ-

quærent: Etenim homines habent & eorum existimationem ac gloriam pro Deo, cum eadem præstent pro hominibus, quæ pro Deo præstarent: nam pro Deo quid facerent amplius? Item quòd quibus operibus hominum gratiam erunt, & laudes, ipsi possent emere vitam æternam: cum enim nullum sit opus bonum vel exiguum, quod gloriam æternam mereri non possit, quoniam omne opus bonum originem habet à gratiâ, illa autem est semen gloriæ æternæ, sequitur eum, qui illis operibus aucupatur gloriam humanam, atque mortalem, similem esse illis Idololatris de quibus Scriptura, *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum*, Etenim gloriam humanam præoptarunt super gloriam cœlestem: illa autem est possessio Dei, unde dicit eis Christus. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Et sicut in Scripturâ Idololatria passim exprimitur per fornicationem & adulterium, quod sæpe repetitur in cap. 16. Ezech. *Fornicata es cum filijs Egypti, & multiplicasti fornicationes tuas*, & multa alia similia: unde idola vocantur amatores, & adulteri: cujus reiterationem reddit Augustinus de Civit. Dei cap. 25. his verbis: Fornicator qui se pluribus addicit, itaque si anima Deo relicto cui per indissolubile pactum erat conjuncta, ad deorum multitudinem se convertit, fornicari dicitur, &c. Ita qui Deo relicto cui uni placere debet, quique solus veram gloriam dare potest, ad homines se diffundit, ut ab eis gloriam accipiat, ille fornicatur: etenim pluribus se addicit. Adde quòd gloria non oritur ab homine, nisi spuria & falsa, itaque non oritur ex illo per legitimum matrimonium, sed per adulterium & fornicationem: verum à Deo ut à vero principio. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Item, *& tunc laus erit unicuique à Deo.* Unde David Psal. 72. *Perdidisti omnes qui fornicantur abste: mihi autem adhaere Deo bonum est, po-*

tere in Domino Deo spem meam. Ratio fundamentalis est, Quia gloria oritur propriè ex bonâ actione, illa autem originem habet & à voluntate, sed potissimum à gratiâ, quia voluntas per gratiam fit potens, unde merita nostra dona sunt Dei, ut ait Augustinus, cum Deus dat mercedem operibus nostris, verè coronat dona sua, itaque dat gratiam pro gratiâ: gloria igitur oritur ex vero matrimonio creatoris & creaturæ, hoc est ex conjunctione gratiæ & libertatis: sed qui gloriam vanam quærit, illam ex se ipso quærit, ac suis factis, unde rectè dicitur in cap. 16. Ezech. *Habens fiduciam in pulchritudine tuâ, fornicata es in nomine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres:* ut adultera abjecto nomine mariti quò anteà vocabatur, omnibus passim se prostituit, ut non jam ad maritum sed ad obvios quosque pertineat: ita homo gloriæ appetens, illò abjectò cui soli placere debuerat, obvio cuique se prostituit: *perdidisti omnes qui fornicantur abste: mihi autem adhaere Deo bonum est.* Quia cum ex Augustino libro 2. de Serm. Domini in Monte cap. 30. hypocrita tegant sub personâ quod sunt, & ostendant in personâ quod non sunt, in illis qui tantum gloriam quærent, junguntur dissimulatio & simulatio, in quibus duobus constat vera ratio hypocrisis: etenim occultant bonis operibus, & quasi sub personâ boni veri, aut vacuitatem & egestatem virtutis, aut turpem & sceleratam vitam; & in hoc est dissimulatio: quia verò id faciunt obtentu bonarum actionum, in hoc est simulatio. Horum autem hominū quidam magis dissimulant, alij verò plus simulant: quidam enim plus cavent ut nō videantur quod sunt, alij verò plus amant ut reputentur quod non sunt: utrique autem id faciunt honoris causâ oculis hominū servientes: sed qui dissimulant plus fugiunt dedecus quàm laudem sequuntur, qui verò simulant plus ambiunt honorem;

rem: itaque primi oculos hominum magis metuunt; alii autem plius quærunt: utriq; tamen, & in malis metuunt, & in speciosis quærunt, vilia gloriæ mancipia. Proinde semper est hypocrisis adjuncta vanitas, & gloriæ studium, quæ omnia Christus in Pharisæis reprehendit, in quibus dissimulatio certabat cum simulatione, & vanitas atque ambitio cum hypocrisi.

Nam ut ab ultimo incipiam, sic eos Christus exagitat Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant simbrias: hoc de ambitione: quod sequitur, ad hypocrisim pertinet. Va vobis scriba & Pharisai hypocritæ, quia mundatis quod de foris est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapinâ & immunditia: Jam verò quod in illis maxima esset tùm simulatio illud ostendit, quod & plurima bona præ se ferrent, nam & jejunabant & orationes longas fundebant, & eleemolynas faciebant, & exactè decimas solvebant & simbras gestabant in vestibis, & phylacteria dilatabant, & munditiem sectabantur & pallorem in vultu ostentabant, quæ omnia pertinent ad simulationem: cùm tamen per dissimulationem occultarent rapinas, & immunditias suas, & virtutis veræ inanitatem; unde Christus eos comparat sepulchris dealbatis. *Va vobis scriba & Pharisai hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ, sic & vos a foris quidem paretis hominibus justis: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* S. Basil. in illa verba Isaïæ 1. *Erunt ut terebinthus decidens foliis,* comparat hypocritam quercui quæ ramos habet tortuosos, & corticem rugosum & turpem, folia quæ operiunt pulchra; Greg. Naz. or. de funere Patris, confert cum mulierculis, quæ cùm naturali carent pulchritudine*

fucò se adornant: Et in carmine de virtute humanâ, comparat navipictæ & miniatæ, sed clavis non compactæ, quæ in mediis fluctibus fatiscit.

Sicut itaque Lex Iudaica tota fuit in umbris, & figuris, non autem in rerum veritate secundum illud Apostoli, Hebr. 10. *Umbra enim habet lex futurorû bonorum, non ipsam imaginem rerum: Imaginem dixit pro specie: ait enim Paulus 2. Cor. 5. Per silem enim ambulamus & non per speciem: & propterea quæ in lege erant*

vocavit 4. ad Galat. *Infirma, & egena elementa,* alii, vacua & inania: Ita multi simulacrum habent virtutis, non ipsam virtutem. Id Christus exprobrat Pharisæis Matth. 23. *Va vobis scriba & Pharisai hypocritæ: Quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium.* Id est majorem condemnationem, & quod viduas vexarent, quas juvare debuissent, & quod specie sanctitatis; Item illis exprobrat quod *circuirent mare & aridam, ut unum facerent proselytum, & eum facerent filium gehenna duplo, quam ipsi essent,* quia scilicet semper est in pejus malorum imitatio, dùm ad acceptum malitiam ab alio, unusquisque suam adjungit: Hæc autem omnia, longas orationes facere, quærere proselytum, & multa alia quæ enumerat, speciem tantùm habent probitatis, cùm tamen ipsi non modo inde non meliores existerent, sed etiam peiores, in quo est hypocrisis quod illa specie probitatis tegerent virtutis inopiam.

Verùm si Iudæi speciem tantùm habebant inanem, & umbratilem, peiores erant Pagani, qui suis ceremoniis horrenda tegebant scelera, resque valde turpes: Ita illa hypocrisis longè est deterior, quæ speciosis & apparentibus actionibus magna scelera tegit. Id verò Christus illis exprobrat, Matth. 23. *Va vobis scriba & Pharisai hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, &c.*

Aliud igitur est speciem virtutis habere, aliud

liud veram virtutem. Certè maxima hominum pars speciem tantum illius sequitur, non autem veritatem: cuius rei argumentum est, quod adhæreant magis ejus speciei, quam illi ipsi. Hinc studium quorundam operum, quæ plus habent splendoris quam soliditatis. Nemo itaque sibi blandiatur, nemo se decipiat. Non est ea virtus quæ tantum apparet, sed quæ vera existit.

II. Species hypocrisis non longè à priori dissimilis est, cum quis solis externis est contentus, nec curat interiora; in eo tamen differt à priori specie, quod illa alios respiciat potissimum, hæc autem unumquemque in seipso: per primam alios decipimus, per hanc nos ipsos: per illam, aliis falsò videmur boni, per hanc, falsò nobis videmur probi. Quemadmodum igitur Lex Iudaica fuit tantum in externis ceremoniis & corporalibus, secundum illud Apostoli Heb. 9. *Quæ parabola est temporis instantis: juxta quam munera & hostia offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis, usq; ad tempus correctionis impositis.* (Vocat tempus correctionis, seu emendationis novam legem, seu Christi adventum; qui aliam legem attulit spiritualem.) Ita quidam ponunt omnia in exterioribus, non curantes id quod interius est: quod item in Phariseis Christus damnavit illis verbis supra allatis: *Mundatis quod de foris est calicis, & paropsidis: &c.*

Hujus autem erroris fundamentum est, quod nihil magni faciant nisi externa, atque hominum instar judicent; homo autem in faciem judicat, Deus verò intuetur cor: quod provenit partim ex hominum ignorantia partim etiam ex imbecillitate; ex ignorantia quidem, quod putent nihil esse imperatum præter actus externos; ex imbecillitate autem, quod existiment impossibile esse internam illam affectuum & cogitationum sanctitatem.

1. Refutatio, Quia præcepta non sunt tantum de externis, sed maxime de internis; unde *tuum: Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, &c.*

2. Refutatio inest in ratione Christi, Luc. 12. *Vos Pharisei quod de foris est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum plenum est rapinâ & iniquitate. Stultus, nonne qui fecit quod de foris est, etiam id quod de intus est fecit?* Itaque non solum externa debemus Deo, sed etiam interna. Et Deus tam interna quam externa conspiciat. Ad hæc si hominibus debemus externa, debemus Deo, & externum, & internum, quoniam utriusque est conditor & cognitor: Et huc valere etiam potest illud Augustini, Deo debes conscientiam tuam, famam proximo.

3. Refutatio est, Quia sanctitas inest formaliter & internè in actionibus internis: externè autem in externis, & per derivationem ab internis: unde Christus ad Phariseos Mat. 23. *Pharisee cæce, munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat id quod de foris est mundum;* Adverte itaque aliud esse loqui de bonitate vel malitiâ objectivâ, aliud de formalitate: Objectiva potest esse in actibus externis, sed formalis est in internis.

4. Refutatio, Quia maxima pars sanctitatis est in actionibus internis: quod patet ex inæquali sanctitate, quæ non est ratione externarum actionum, quoniam eadem sunt, igitur ratione internarum: Et in eo fundatur, quod prohibemur *judicare donec veniat qui illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.*

Hinc commendatur Christianis esse internum, & docemur minimam partem esse actiones externas, ac super omnia attendendas esse internas affectiones: Ita præcipuum studium in nobis esse debere cogitationum, affectuum, intentionum, & rerum internarum.

Hinc reproba a fermè hominum iudicia; & quæ in speciem optima esse videbantur, à Deo rejecta sunt, secundum illud 1. Reg. capite 16. *Nec juxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.*

III. Species hypocrisis in eo consistit quòd quis partem tantum justitiæ cōsequeretur, atque ex parte se justum putet, etiamsi alias justitiæ partes contemnat: cum tamen vera justitia postulet ut nulla pars justitiæ prætermittatur, bonum enim ex integra causa: Itaque Christus Matth. 5. *dictum est antiquis, Non occidis: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: &c. Item dictum est antiquis, Non moechaberis. Ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo, &c. dictum est antiquis, Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, Non jurare omnino: &c. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, &c. dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: &c. Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Et hæc hypocrisis opponitur integritati & perfectioni virtutis, quæ postulat ut non solùm quædã fiant, sed etiam ut nihil omittatur, unde Christus Matth. 23. *Hæc oportuit facere, & illa nō omittere: Quia in re multi decipiuntur existimantes se justos esse, quoniam multa observant, cum vel unius partis omissio sufficiens sit, ut aliquis damnetur: unde Christus voluit legem adimplere, *Nota unum, aut minus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.***

IV. Species hypocrisis est Minutorum quosundam observationem jactare, & tamen

summa, atque maxima negligere: nam ex minimarum rerum observatione, haberi volunt in majoribus observantissimi. Ad hæc, cum omnes ad majora teneantur, non magnum est si illa observentur, sed cum ea quæ pertinent ad consilia à paucis observentur, quæ observant habentur in honore: Et ideo hypocritæ solent ista quæ laudem afferunt cōsecurari, alia verò prætermittere. Id quoque Christus exprobrat Pharisæis Matth. 23. *Va vobis daces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet: Stulti & cæci, quid enim majus est aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari nibile est, qui autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci: quid enim majus est donum, an altera quod sanctificat donum? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt: & quicumque juraverit in templo, jurat in isto & in eo qui habitat in templo: & qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.*

Eosdem vocat hypocritas Luc. 12, qui observarent tempus, atque inde prudentiæ laudem quærerent, cum tamen non observarent adventum Christi, quod tantum operetur referebat; *Hypocrita faciem cæli, & terra nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem, & à vobis ipsi non judicatis quod justum est? Quam multos Pharisæis similes videmus, qui difficiles videntur in rebus nihili, & in maioribus sunt liberrimi, Duces cæci, Matth. 23. excolantes culicem, camelum autem glutientes. Sed nimirum, mendaces filij hominum in stateris: Atque hæc hypocrisis prudentiæ opponitur, quæ ordinem ponit inter res: unde Christus illis: *Non judicatis quod justum est, ut sciant homines quæ potissimè sunt observanda, quæ prius deferenda, item in quibus potius desudādū, & quæ sūt pluris faciēda.**

1. Enim quædam sunt præcepti, alia sunt consilia; prima non potes omittere; se-
cunda

secundā potes, In iis quæ præcepta sunt, vide in primis à quo sint præcepta, uti Actor. 5. Petrus & Apostoli dixerunt Sacerdotibus obedire oportere Deo magis quàm hominibus. Deinde in iis quæ præcepta sunt, vide quid potissimum fieri voluerit Legislator, quod colligere potes, vel ex verbis legis, vel ex pœnâ quam statuit, vel ex iteratione præcepti, vel ex rei ipsius naturâ: Ita quæ Deum spectant sunt majora, quam quæ homines: Ita blasphemia maius est peccatum quocūq; homicidio, aut adulterio, &c.

2. Quædam habent rationem finis, alia verò mediorum: Quæ habet rationem medii, comparari debent in ordine ad finem, & in ordine ad usum: non igitur existimatio & iudicium peti debet ex communi hominum opinione, falsissimâ regulâ; neque ex eo quod majorem parit laudem: sed vel ex universalitate, quâ ex causâ Apostolus pietatem laudat, quæ ad omnia utilis est, cum tamen corporalia exercitatio ad modicum valeat: vel ex comparatione inter se, cum unum habet rationem finis, aliud rationem medii: Inter media, si unum sit iaternum medium, aliud verò externum: uti actiones virtutum, sunt media interna, austeritates autem sunt media externa, prædicatio & similia: Item haberi debet ratio principalis finis, nō autē subalternorum, & ita gloria Dei plus spectari debet, vel etiam salus æterna: Item habere oportet rationem ejus qui utitur mediis, nam omnia media non omnibus conveniunt, sunt enim bona non simpliciter, sed secundum quid, & per comparationem, unde ea præferre oportet aliis quæ singulis conveniunt.

V. Species præcedenti affinis est quando observatione rerum quæ non præcipiuntur, tegitur rerum majorum & præceptorum vel contēptus, vel omissio. Id Christus exprobrat Pharisæis Mat. 23. *Va vobis Scriba & Pharisæi hypocritæ, qui de ornatum mentham, & anethum,*

& cuminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem; hæc oportuit facere & illa non omittere: Duces cæci, excolantes cilicem, camelum autem glusientes; In eo verò est hypocrisis quod qui videbantur studiosi rerum non præceptorum, viderentur multò magis studiosi esse rerum mandatarum, quod tamen non faciebant, unde erat mera hypocrisis: itaque non fuit hoc studium laudabile, sed majoris impietatis tegumētum execrabile, quod inter multos homines familiare est.

VI. Species hypocrisis, Cum id maxime occultum est quod maximè volunt hypocritæ, secundum illud Matth. 23. *Va vobis, &c. qui edificatis sepulchra Prophetarum & ornatis monumenta justorum, & dicitis: Si fuissetis in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram Patrum vestrorum, sed habet aliquid expressius S. Lucas c. 11. *Va vobis qui edificatis monumenta Prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini quod cōsentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidē eos occiderunt, vos autem edificatis eorum sepulchra. Locus plane difficilis, unde varias habet expositiones: Illud enim est difficile quod Christus ait Iudæos edificantes sepulchra Prophetis, consentire homicidio Patrum suorum: Profecto testificamini quod consentitis operibus Patrum vestrorum sed vult dicere. Quicquid demum curæ ponatis in sarcindâ injuria quam parentes vestri Prophetis fecerint eos trucidando, criminis illorū participes vos constituitis, magnificatis monumenta & sepulchra extruēdo, quasi sufficeret illud ad compensandum quod acceperet, essetq; licitum interficere, modò postea opulenta splendidaque monumenta ædificentur; perinde ac si satisfactio damnum repararet: sicut illi docebant liberos, posse ab iis**

parentes suos contemni, dum modò Sacerdotibus & templo largitionem facerent Matth. 23. *Vos dicitis quicumque dixerit Patri, vel Matri: munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & nõ honorificabit Patrem suum, aut matrẽ suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Vide hypocritism, quod specie pietatis tegetent magna crimina. Itaq; Judæi hac ratione reos se effecerunt homicidii Patrum suorum. Illud enim cum improbare debuissent, conari sunt excusare ac obtegere frigidã hac ineptaque defensione, quod ædificassent monumenta iis quos ipsorũ parentes neci dederant. Quid dicam de iis qui postquam parentes occiderunt, putant se iustã purgatione defensos, quia conseruant bona libris, quos fecerunt orbos, dupliciter improbi, crimine scilicet ac simulatione?

Tolerius aliter exponit, & sic ostendit Hypocritism. Videbantur Judæi suos Parentes reprehendere quod injustè occidissent Prophetas, sed re ipsa imitari volebant: nam ex studio ædificandi sepulchra, videbantur coarguere facta majorum, & ex hac reprehensione opinionem iustitiæ quærere, ex quo fidebat, ut cum Christum, & eius discipulos persequerentur, non id injustè facere viderentur, sed iustitiæ zelo, ut nemo crederet illum esse Prophetam, neque illos justos, quos ipsi tam acriter persequerentur: non enim illam iniustitiam erant illi facturi, qui hoc factum in majoribus reprehenderent, & se ita religiosos, & benè affectos ostenderent in Prophetas, quibus etiam sepulchra ædificarent: consentire itaque videbantur Patrum suorum operibus seu homicidiis, cum illis uterentur, fingentes per eiusmodi ædificia se abhorrire ab illorum peccato, ut impunè possent Christum persequi, quod hæcenus non potuerant propter metum populi, qui eum ut Prophetam habebat Planior fortasse erit sensus horum verborum si dicamus illis significari Judæorum hy-

pocritism, itaque aliud in speciem ostendisse Judæos, aliud de facto intendisse. Nam in speciem videbantur damnare mortem Prophetarum, & factum parentum suorum, de facto autem publico opere significare volebant, cum eorum Patres Prophetas occidissent, quod isti contra eos nimiris liberè locuti essent, se idem facturos esse contra eos qui eandem loquendi libertatem sequerentur. Itaq; ipse sibi caveret, & ejus discipuli, unde subdit Christus. *Implete mensuram Patrũ vestrorum: quod fecerunt, cum Christum & Apostolos peremerunt.*

Porro in illis omnibus hoc reperitur, quod non concorde cor cum lingua, nec lingua, cum manu: id est nec sensus cum doctrinã, nec doctrina cum vitã. Vide Christus: *Quacumque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.* Arque hæc omnes fictiones quamvis sint crassiores, sunt tamen valde communes, & maximam vitæ hominum partem occupant

Quæ cum ita sint, hoc unum ex hoc discursu colligere possumus paucos esse qui Deo serviant in Spiritu, & veritate. Omnia fucata sunt & ficta, Isa. 59. *Facta est veritas in oblivionem.* Quanta erit confusio multorum in Iudicio, cum Deus illuminabit abscondita tenebrarum, &c. cum lauserit unicuique à Deo. Nam in fine hominis denudatio operum illius. Tunc accidet quod ait Job. cap. 15. *Congregatio hypocrita sterilis, quos enim collegerit ad suas laudes, nihil ipsi proderunt: Vnde subdit. Et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt: Ille, inquam, ignis de quo Apostolus ait 1. Cor. 3. *Vnusquisque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificavit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* Quam illud*

illud grave, quod omnis vita tot laboribus exercitata maneat sine mercede; nam ut ait Christus, *acceperunt mercedem suam* nempe quam quaesierunt, quam optarunt; Sed quam illud gravius, ut pœnam pro mercede accipiât Iob. c. 36. *Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.* Quia scilicet nihil virile habuerunt. Itaq; de uno ex illis dicit, *Non ei placebit vœcordia sua* cap. 8. Quæ enim major stultitia: Quia, uti explicat Greg. Cum retributionis tempus advenit, in pœnâ displicet quod vœcors fuit. Tunc se stultè egisse intelligit, cum pro delectatione laudis sententiam Divinæ correptionis acceperit. Tunc se vœcordem fuisse considerat cum se pro temporali quam

percepit gloriâ, perpetua tormenta castigant. Quantus ex adverso honor cum bona opera occulta in omnium hominum, & Angelorum conspecta revelabuntur? Itaq; cogita cui servias? Deo sanè uni? Quid ei placeat? cor. Quid à te petat? Veritatem & sinceritatem. Quid polliceatur? Cœlum & seipsum. Hæc cogita & sæpe ista revolve. *Et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Qui videt, Si reddet ab hominibus videri cupis, reddent ipsi; Si Deum unum cupis spectatorem, ipse reddet. Qui illi reddent? vanitatem? Quid iste? reddet Cœlum. Tu elige quid vis, quid malis, *Mihi autem adharere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam. Pars mea DEVS in æternum.* Amen.



FERIA SEXTA

DOMINICÆ TERTIÆ
IN QUADRAGESIMA.

CONCIO QUARTA.

Quid sit adorare Deum in veritate, exclusâ omni, etiam subtilissimâ hypocrisi.

Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Ioan. 4.



UIS explicet cujus generis sit ille *se meo, omnis homo mendax*: Si enim omnis homo excessus quo abreptus David omnis mendax, igitur omnes Sancti, omnes nes homines pronuntiavit esse Prophetæ mendaces fuere. Ita ut quomédaces Ps. 115. *Ego dixi in excessum* paralogismum refert Sanctus Basilus.

vilis, & tu quoque ð David mendax es? num igitur tibi fides habenda? ac vide etiam, ne in eo quoque mentiaris, dum omnes homines pronuntias esse mendaces. Memini hac occasione quarumdam propositionum, quas Philosophi appellant, seipsas destruentes, de quibus Aristoteles in Metaphycis: uti est ista: omnis propositio falsa est, aut omnis propositio vera, nam si omnis est falsa, & ipsa quoque falsa est: si omnis vera, itaque vera erit ejus contraria. At verò quia in excessu hoc dixisti fortè per excessum locutus es, & ut plurimos diceres, omnes dixisti? An verò teipsum superasti, ut etiam de teipso vere aliquid diceres, in excessu tuo? Sanctus Basilius illum excessum explicat Davidis contemplationem, in quâ omnes homines iatuitus, pronuntiauit omnes esse obnoxios errori, & si loquantur, mendacio, si de rebus quæ solâ fide sciuntur, pronuntiare audeant: ait itaque David, *Credidi, propter quod & locutus sum*, id est in rebus fidei oportet prius credere, deinde loqui: cum enim in præcedenti Psalmo locutus fuisset de alterius vitæ beatitudine, in sequenti ait, se quæ dixerat fide credidisse: ejusmodi enim res tantum per fidem percipiuntur: *Ego autem humiliatus sum nimis*: nisi enim quis mentem subjecerit in obsequium fidei, nihil poterit earum rerum comprehendere: Tùm subdit, *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax*, id est neque id solum mihi evenit, sed omnibus etiam mortalibus: nam omnes contemplatus, & hic est excessus, nullum vidi posse veritatem per se apprehendere, sed dirigi debere à fide, tum loqui. Idem ibidem per excessum intelligit illam extasim in quâ apparuit coram Rege Aclis, quasi correptus morbo comitiali, & furens: ubi enim vidit se eò necessitatis venisse, ut mentiri cogeret, quo vitæ suæ consuleret, tum apud se reputans dixit, quidquid homi-

nes faciant, vix fieri potest ut evitent fictionem, & mentiendi necessitatem: nam licet ex destinato non mentiret, tamen ut mentiret coactus sum. S. Chrysostr. illum excessum, atq; extasim interpretatur somnum: sic enim multi interpretantur soporem Adamo immisum, fuisse extasim: ille autem Davidis somnus, ortus est ex summo ejus dolore, & afflictione: talis somnus fuit Ionæ Propheta, ut scripsit Albertus Magnus: prius enim dixerat David, *ego autem humiliatus sum nimis*: hinc verò cepit considerare vilitatem suæ naturæ, quam vocat mendacium, umbram, imaginem, somnium: Ita passim Sancti Patres interpretantur: dico sensum meum.

Cæterum si David de virtute veracitatis loquitur idè omnes homines appellat mendaces, non quòd omnes, vel semper, vel aliquando mentiantur, sed quòd omnes mentiri possint, neque sint veritatis infallibilis, & indubitata. Verior itaque sensus apparet, Prophetam, cum in superiore Psalmo de regione vivorum esset locutus, in sequenti hæc addere, quæcunque igitur ab hominibus dicuntur de præsentis vitæ felicità, mera sunt mendacia.

Quod si rem in universum definire velimus, describit Propheta communem hominum vitam: fallacem ac mendacem, quæ nihil in se minus habeat, quàm quod in speciem ostendit; atq; in universum homines esse hypocritas, ac ferè omnes in aliâ specie apparere, paucos in suâ: quod ego in priori concione satis ostendi, in qua varias hypocrisis species exposui; ut probarem paucos admodum esse qui serviant Deo in veritate, tam multæ sunt hominum fictiones in serviendo Deo. Sed quia ex fictionibus, aliæ crassiores sunt, aliæ subtiliores; cum de primis satis superque à nobis dictum sit, sequitur ut de aliis à nobis dicatur, à quibus vix etiam spiritales homines sunt immunes. Certè paucorū virtus deprehendetur pura,

pura, atque sincera, & libera ab omni fictione, atque hypocrisis, ut ex dicendis intelligetur: si prius Beatissimam Virginem salutaverimus, AVE MARIA.

BEATVS Franciscus Salesius scripto mandavit, se cum Romæ esset, tempore illius morbi quo Clemens VIII. interijt, audivisse eum ita venenosum à medicis iudicatum fuisse, ut necesse fuerit ad Bazardicum lapidem (vulgo Bezoard) confugere. Quæ situs igitur est undecunque sincerus purusque, ac certò probatus: sed è magnâ quæ oblata est copiâ, unum tantummodo frustum medici comperere verum legitimumque itaque reliquum omne rejectum est, ut confectum & adulteratum. O quot ejusmodi virtutes deprehendendæ sunt, ubi Deus *manifestabit consilia cordium*, tenebrasque nostras illuminabit! usque adedò verum est, exiguam esse certitudinem veritatis ac soliditatis, inter mortales, eorumque virtutem nihil præter exteriorem speciem habere; ac nimio plus legitimam esse conquestionem: *Isaia c. 59. Facta est veritas in oblivionem.* & *Psal. 11. Defecit sanctus, quoniam diminuta sunt veritates à filiis hominum:* Vnde iusta multorum oratio esse solet: utinam abjectâ omni hypocrisis veras virtutes ac non fictas habeam? Ego eos in verâ solitudine, & simplicitate consistere puto.

I. Igitur hypocrisis ex subtilioribus quæ mihi occurrunt, est cum actio virtutis non inchoatur à vanâ gloriâ, tunc enim crassa esset hypocrisis, nam tota actio esset corrupta, nempe vel à suo fine, vel à suo principio, eaque actio non foret actio virtutis, sed mera esset species & larva virtutis; sed quando vana gloria virtutis actioni se se paulatim immisceat in progressu. Uti enim difficile est in Sole ambulare & umbram non facere, ita difficile est benè agere, quin se se rei seriatim admisceat vanitas. Item sæpe numero Dæmon pyratas

imitatur, qui naves à portu solventes non adoriuntur, quin & cautiores sunt, & ad certandum magis paratæ, & adhuc vacuæ, sed potiùs cum redeunt mercibus onustæ: Ita Dæmon sinit inchoari actionem, sed eam in progressu, & properantem ad finem insequitur. Hoc de seipso fatetur Gregorius Magnus in suis in Jobum Moralibus, nam operi suo finem imponens, fatetur quidem se ad hoc opus suscipiendum non aliâ re commotum, quam Deo placendi studio, sed eidem intentioni (inquit) quâ Deo placere studeo, furtim se nescio quomodo intentio humanæ laudis interserit, &c. Sic etenim ait sæpè intentionem nostram, dum ante Dei oculos rectè suscipitur, occultè sibi subjuncta, & eam velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis assequitur, sicut pro necessitate quidem eibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula subrepat, delectatio permiscetur: unde plerumque contingit, ut refectio corporis, quam salutis causa cepimus, causâ voluptatis expleamus: &c. Hæc ille. Si autem de his divinitus districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra, pura mala sunt: & bona quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt? Numquamne licebit nobis solis cum Deo agere? semper ne creaturarum turba se interferet? Numquamne licebit nobis creaturarum omnium conspectum fugere, nosque ab illarum cœtu subducere? Nunquamne eam ingredi solitudinem, ubi solus Deus sit, & nos soli cum Deo? Quid nobis cum hominibus, immò etiam cum Sanctis, quid cum ipsis Angelis, quid cum creaturis, si uni Deo placere volumus? ut nihil creatura nostræ vel cogitationis, vel affectus occupet. Creaturarum proprium est non esse, hinc enim habent originem, ed etiam tendunt, & hoc unum habent à seipsis: Cur nostri respectu id non sunt, quod

sunt

sunt à seipsis? cur nobis non apparet solus Deus qui non potest non esse? Sed pro dolor: si cum Deo sim, continuò se se innumeræ offerunt creaturæ, earum occurrit aspectus, iudicium, opinio, sententia: illæ animum meum dividunt, discerpunt, abripiant, occupant. Nonne satius est cogitatione ita me subducere, ut divinitatem ingressus quasi caliginem, & Sancta sanctorum, nihil præter Deum reperiam, neq; attendam vel ipsis Seraphim, & Cherubinis qui arcana Dei obvelant: unde nubes locum omnem occupat, Id est, divinitatis Majestas, ita ut mihi ad divinitatem accedenti univèrsa creata dispareant, atque evanescant? Finis transfigurationis, & visionis mirabilis est invenire solum Iesum. Dominus in caligine. Dominus habitavit in nebulâ, & majestas Domini totam domum implevit. *Et non poterant Sacerdotes stare & ministrare propter nebulam*, impleverat enim gloria Domini, domum Domini: *Tunc* ait Salomon: 3. Regum 8. Dominus dixit ut habitaret in nebula.

II. Hypocrisis, Est cum creatura sic agit cum Deo, ut sibi ipsi satisfacere quærat, quod tunc tantum fit, cum illi res succedit, prout ipsa voluit; In quo non levis est hypocrisis: Cum enim plurimi unum Deum spectare videantur, seipsos tamen potius intuentur; unde tandiu, & eo modo agunt cum Deo, donec sibi ipsi satis fecerint: in quo non habent fructum perfectæ solitudinis, quia non unum Deum spectant, sed in seipsos oculos retorquent. Solitudo est cum Deus solus est, & nos cum ipso, ita tamen ut solus Deus videatur, & spectetur; nos hic sumus, ut Deum intueamur, non autem ut nos ipsos attendamus; quamobrem debemus esse absq; ullo ad nosmetipsos reditu, in quo hæreamus, minimè attendo, nostræ ne cupiditati satisfiat, sed tantum an placeamus Deo, eique factum sit satis; nostrorum enim studiorum affectuumq; ex-

pletio, commoda sunt nostra, quæ non nisi amore proprio spectantur; unde fit ut succellus omnis ad nos pertinens, esse nobis indifferens debeat, quia nulla rerum nostratum ratio, sed Dei solius habenda est, cui satisfacit eo quod sumus, quoniam tales nos ipse fecit. Quoties credimus Deum à nobis unice diligi, nosque operari pro ipsius amore, ubi amor nostri nos possidet! Sic agentes cum Deo in oratione ac precibus, aut aggredientes aliquo negotium, si nos amor nostri dirigit, totus noster aspectus in eo est, ut consideremus an illud nobis benè succedat, hoc est, an eò quem nobis proposuimus modò peractum sit, tuncque nobis placeamus, in illâ occupatione, quando eâ re quam fecimus contenti sumus, propter oblectationem quæ nobis inde accessit, eâ re nimirum quam quærebat inventâ; ac ita nos magis respicimus quàm Deum, & ipsâ nostri complacentiâ tribuimus nobis locum, quem alij vanæ gloriæ desiderio, creaturæ cuiuspiam darent. At parum omninò interest, an à nobis ipsis vel ab alio interrumpatur ea solitudo, quando quidem inter Deum nosque creatura intervenit; si enim intermedium illud simus nos ipsi, si res alia quæpiam creata, neutro hoc in loco Deus est.

III. Hypocrisis, secundæ valde affinis aut propinqua, est cum delectatio nos ad Deum trahit, vel detinet cum Deo;

Adverte ejusmodi delectationem esse duplicem, unam negativam, alteram positivam: Negativa est fuga laboris, cujus gratia nonnullæ mulieres devotionem sectantur, totos dies in templis morantur, orationi se addicunt, ut sibi parcant, & laborem fugiant; ac licet devotæ sibi videantur, nihil tamen minus sunt: sed mera est hypocrisis. Eodem fine multi se addicunt solitudini, ignavix causam: multi se à reipublicæ curâ removent, ut laborem fugiant. Ita quoniam sunt aliqui, qui quòd

quòd in multis rebus vincere se nolunt cer-
tando & pugnando, propterea ignaviâ & de-
sidiâ cedunt; illi quasi de virtute sibi blandi-
untur, cum tamen mera sit hypocrisis: igna-
viâ enim suâ, virtutis speciem obtendunt,
quasi ambitionem fugiant, & cupiditatem
honorum domuerint.

Positiva delectatio iterum duplex est, una
merè naturalis est, altera causam videtur ha-
bere supernaturalem: Naturalis est, quæ ori-
tur vel ex bono successu, vel ex morum, &
vitæ, & studiorum conformitate: quod enim
benè succedit, placet, itaque in eo facilis est
continuatio, & in eo est amoris proprii pabu-
lum: quod indoli nostræ & inclinationi con-
forme est, non potest non placere: Ita Melan-
cholici facilè conquescent in solitudine; qui
sunt actiuosi facilè in negotiorum procuratio-
ne, & tumultu vivunt: & ejusmodi homines,
in vitæ suæ electione, & in suarum actionum
delectu non habent perfectam solitudinem,
nec credere debent se unum Deum querere,
nec se se perfectè eximere ab hypocritarum
numero, quia non tam quærunt Deo pla-
cere quàm sibi, ac licet fingant se Deum quæ-
rere, reipsâ delectationem quærunt merè
naturalem, quæ oritur ex conformitate quam
habent cum objecto in quo toti conque-
scunt, ad hoc enim nullâ virtute opus est, sed
solâ naturâ.

Circa delectationes supernaturales major
est deceptio, quia longè est subtilior, nam
cum à Deo ortum habeant, non videntur
rejiciendæ, itaque unusquisque credere po-
test se in illis posse sistere, cum tamen id fieri
non possit sine aliquâ hypocrisi, cum jam non
Deus ipse quæratur sed creatura: ut hoc me-
lius à nobis intelligatur.

Adverte ejusmodi supernaturales delecta-
tiones duplicis esse generis. Primò enim sunt
spirituales quædam consolationes quas Deus
impertit aut ante aut inter bonarum actio-

num exercitationem, quæ quidem consola-
tiones idem hoc præstant anime, quòd oleum
vel sebum rotis currus, quo facilius volvan-
tur: Illæ siquidem pervadunt usque ad sensi-
tivas etiam cordis affectiones, certasque in
nobis suavitates ac teneritudines pariunt us-
que ad lacrymarum affluentiam; accendunt
nobis ardores æstusque fervoris, qui nos inci-
tant ad aggredienda facilè omnia, quamvis
molesta sint, ita ut ipsas etiam mortificationis
ac pœnitentiæ afflictationes amemus, nihil-
que difficultatis in illis nanciscamur. Verùm
qui in istiusmodi rerum gustu inhæret, non-
dum purè Deo inservit, quia magnæ illæ tua-
vitates quæ nos ad id quod agimus tam faci-
liter præstandum inducunt, nequaquam pro-
ficiscuntur à vero virtutis habitu, sed à dele-
ctatione quam nobis ingenerat illa teneri-
tudo, vera proprii amoris esca, objectumque
proprii commodi nostri, quod exiguis hisce
oblectationibus alitur: adeo ut istiusmodi
rebus inniti magni scilicet eas æstimando,
nihil aliud sit, nisi pro sanctitate, vanitatem
nostræ delectationis sectari, abutendo rebus
sanctis, ut voluptati nostræ sacrificentur. Hinc
certò quidem oritur ut plurimum inanis su-
perbia, complacentia, & illusio. Præterquam
quod minimè credendum est virtutem ex ijs
rebus pendere, ac multò minus eam consi-
stere in ejusmodi dulcitudine, ac jucundo
justu: harum enim suavitatum illecebrâ,
modò pusillum habeatur virtutis, sine magno
conatu efficitur id quod proponitur agen-
dum: unde fit, ut ad illas non debeamus ad-
hærescere, sed indifferentes esse ad fruendum
ijs vel carendum, & cum eas habemus, existi-
mare nos ipsis prorsus indignos, & ipsdem
uti secundum Dei consilium, ad nos in virtu-
tis soliditate firmandos, cavendo ne abripi-
nos sinamus ad immoderata desideria, & ope-
ta quæ vires nostras superent, ne postquam
ejusmodi æstus defuerint, proposita hæc

onerosa nobis esse incipiant, & impossibilia videantur. Hæc agendi ratio facit, ut quum Deus consolationes illas subtrahit, nequam contristemur, sed lætemur potius; quia Deum solum invenimus, amore proptio nullam inibi partem habente; quandoquidem anima exuit se vel saltem non afficitur ejusmodi solatijs quantumvis spiritualibus, tamen ab ijs superentur universæ delectationes quæ possent è rebus creatis percipi, quæ quidem nequeunt id in animâ producere, quod Deus in illâ ponere solus potest, utpote solus cordis Dominus. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.*

Alterius generis consolationes, etiam puriores sublimioresque sunt, neque reperiuntur nisi in parte superiori animæ, quæ magis illustratur luminibus longè purioribus, & inflammatur desiderijs studiisque virtutum valde solidis, quæ citra comparationem antecellunt consolationibus illis de quibus locuti sumus; alia enim pronunciata sunt principiaque omninò pura, & subsidia ad solidas virtutes acquirendas, quæ sedem suam in supremâ parte animæ collocant. Verùm quanquam suavia hæc lumina, & ardentis affectus oriantur immediatè à Deo, inducantque animum ad se illi agglutinandum solidarum virtutum nexu, cavendum est tamen, ne sinat sese efferi suavi indolis suæ violentiâ, ac ne natura se cum gratiâ commisceat; quoniam istiusmodi lumina voluntas amplecti solet cursuque persequi, cum solatio quodam oblectamentoque suo, ac sine sensu gliscit secreta quædam complacentia sui ipsius, hisce luminibus oblecta; indeque evenit ut animus illis immoretur diutius, ampliùsque insistat, quàm rei quæ ipsis luminibus illi objicitur, pluris ea faciens quàm quod per eadem videt; ideoque vires omnes contendit, in illis intellectu considerandis, suamque voluntatem & universos affectus circa occupat; ac proinde sibi mente

figit priores suos radios in se attentionis suæ conatibus augeri ac interiùs accendi; minimè tamen Deus est accretionis istius author, sed mera est animæ reflexio, & ingens consolatio, quam haurit ex illo priore radio, quem Deus infudit, subducitque paulatim, sicut nihil remaneat in animo, præter ejus contentionem, amoremque proprium; quò fit ut inani complacentiâ elatus etsi quantum potest amplificet pusillum id luminis divini quod possidet, valdeque magnum existimet, quamvis perexiguum sit, demùm tamen accidit ut evanescat facilè in cogitationibus suis atque in superbiam decidat, & in vanam de se opinionem, fingendo sibi magnas virtutes adesse, ex quo mille nascuntur illusiones, quia Deus operationem suam subtrahit; seque istiusmodi homines valde illuminatos, & eximiâ virtute præditos autumant, quamvis præter prius principium, cujus sola recordatio superest, reliqua omnia nihil aliud sint nisi ratiocinationes humanae, conatusque ac violenti æstus quos in seipsis fecere; unde in graves culpas labuntur, minimè ampliùs innixi soliditate divini influxus. Ex quibus liquet, quo pacto utendum sit illiusmodi luminibus affectibusque: nimirum ea debemus accipere cum demissione animi, nos ijs indignos agnoscere, non delectationem utilitatemque nostram in illis sed honorem Dei duntaxat sectari, ejus bonitatem mirando, quæ creaturam ita inopem non dedignatur, seque ita deprimat, ut illam influxus divini beneficio afficiat; animâ pluris æstimante donorum Authorum ipsum quam dona, quæ non magnificeret, nisi quoniam ab ipso profuunt; neque aliud quidquam spectante, nisi ut Deo sanctæque ipsius voluntati satisfaciat, sine ullo propriæ oblectationis respectu.

IV. Hypocrisis est, cum meriti cogitatio & remunerationis pretium nos Dei obsequio
astrin-

astringit, animamque nostram partim occupat, quæ perfectâ nihilominus amoris puritatem præterdit, sincerumque studium erga Deum. Quònam enim alio ex fonte nisi ex amore sui ipsius oritur delectus ille quem nõnullæ animæ adhibent in optandis & eligendis actionibus quæ maximis sunt meriti, vel nos magis collocant extra jacturæ nostræ periculum? Quamvis non vituperem hosce sensus tanquam malos, nequeo tamen eos agnoscere quasi perfectos, atque ab omni amore proprio immunes, ac proinde alienos ab omni specie hypocrisis. Neque enim quod nos permovere debet, vel est majus meritum, vel major salutis securitas; at id unum tantummodo, quod vel maximè Deo placet. Quo in genere oportet, Auditores, constituam vos variam cogitationum judices quæ aliquãdo sanctam quandam animam tenuere sollicitam anxiamque in consilio ipsi captando, vel recipiendi se in solitudinem ad vitæ abditæ quietē & secessum, vel iuvandi proximi cum aliquo etiam periculo salutis in tuto ponendæ, suæque tranquillitatis. Videtur in oratione lucrum, & gratiarum cumulatio; In Prædicatione autem distributio quædam bonorum spiritualium acceptorum. In oratione est purificatio interiorum affectuum, & unio cum Deo; In prædicatione colligitur pulvis, id est accidit contaminatio affectuum, distractio circa multa, & relaxatio disciplinæ. In oratione Deum alloquimur, & audimus, & quasi inter Angelos conversamur: In Prædicatione necesse est, in multis rebus ad hominum mores descendere, humanè inter eos vivendo; cogimur multa videre, audire, dicere, & cogitare humana. Tamen omnibus pensatis unum est in contrariū, quod his omnibus quæ dicta sunt præponderat, scilicet quòd Christus ipse relictâ suâ solitudine, potissimum prædicationi vacavit, cum peccatoribus manducavit, & conversatus est: cujus exemplum quia nos sequi maxi-

me oportet, gratius Deo esse videretur intermissâ quiete foras egredi ad laborem. Ita S. Franciscus ad Fratres; uti refert S. Bonaventura in ejus vita c. 2. Idem applicari potest pluribus casibus qui non sunt valde dissimiles: Sed justissima est & communissima Apostoli querela ad Philipp. 2. *Omnes quæ sua sunt querunt, non quæ Jesu Christi*: quæ coargutio non tantum spectat bona externa, & secularia; sed etiam interna & spiritalia, adeò videlicet pauci immunes sunt ab hypocrisis.

V. Hypocrisis species versatur circa sublimiorum solidiorumque virtutum desideria, & circa rerum divinarum sensus: quod quidē eò qui subjicitur hîc modò accidit. Sæpe anima magnis boni desiderijs tenetur, iisque à Deo impressis, nequit tamen id assequi quod affectat, neque ad optati sui exitum venire, ob quædam impedimenta quæ intercedunt, quorum alia oriuntur ab hominibus, uti cum obedientia vel charitas, necessitasque nos obligat ad dimittendam orationem, quâ se se anima dispositam videbat ad unionem cum Deo, conjicimur autem in negotium, vitæque adtuosæ curas, à quibus alieno admodum animo sumus, propter distractiones innumeras quæ illuc occurrunt; aliunde verò intelligimus charitatem aut obedientiam nobis permittendam non esse, sed obsequendum necessitati, adeòque deferendum id quod tantopere nobis utile ac fructuosum foret. Nonnunquam verò accidit ut impedimenta illa nobis à Deo adveniant, quãdo protergat differtque largitionem virtutis & perfectionis ad quam nostra nos desideria impellunt. Tunc affligitur admodum animus, & magno doloris sensu afficitur propter ejusmodi obices; in quo fere semper amor nostri locum habet. Quapropter exuere nos oportet hisce animi aculeis & sollicitudinibus quævis justæ ac sanctæ nobis appareant, quia dolor ille anxietasque animam in desiderijs suis

afflictans, ejusq; perturbans quietem, ut plurimum ut dixi ab impuro illo amore nascitur: ac tamen si potest id carere peccato, impedimentum tamen est inter Deum & animam, cum res creata sit, proindeque puritati perfectionis obsistat, quandoquidem inest nescio quid propriè nostrum, etsi hoc in re sanctâ versetur. Præterquàm quod cum Dei Spiritus suavitate, pace ac tranquillitate affluat, credere expedit hunc inquietæ mentis affectum non esse ab Deo, quandoquidem turbat animam. Quapropter ut anxietas illa tollatur, ipsa etiam desideria virtutum moderanda sunt eo quem subjiciamus modo.

1. Accipiendum est desiderium virtutum tanquam donum Dei, sed cavendum est ne insistatur in ejus habendi complacentiâ, sicut nec in propriâ delectatione.

2. Ita, nulli curæ ac labori parcendum est ad assequendam virtutem perfectionemque ad quam desideria illa nos incitant, nihilque omittendum est negligentiam vel tepiditate: sic tamen ut si quid impedimenti obveniat, persuasum habeamus, divinæ bonitati tunc non placere, ut nostrum hoc desiderium operi mandetur, proficendo nos neque virtutem nec perfectionem expetere aliam, nisi quam, & quo tempore vult nobis illam Deus tribuere, cæteris omnibus renunciando.

3. Deponi à nobis oportet dolorem omnem, & anxiam rei cujuscunque sollicitudinem, ipsius adeò martyrij optandi, cum à solo amore proprio illa nascatur, verusque sit inter Deum & animam obex. Qui enim verò solum hoc desiderium habet cum animi quiete sine virtutis optatæ usû, acceptior est Deo, quàm alius qui virtutem illam obtinisset, at eadem sibi ademptâ vel non concessâ valde afflictaretur animo, suamque tranquillitatem turbaret: quia nimirum ille voluntatem Dei possidens, loco rei creatæ volun-

tate illâ frueretur quæ increata est, infiniteque virtutibus omnibus præcellit: præterquàm quod non idcirco desiderium amittitur cum illud imprimat Deus, ejusque sit author, at non persistit cum eâ specie anxietatis quæ turbatur anima, sed cum divino quodam molestiæ sensu inseparabili à desiderio, propter absentiam rei optatæ, cujus desiderium Deus largitur, ea tamen molestia conjuncta est cum mirabili quiete, & sui conformatione ad voluntatem Dei, qui delectatur videndo animam in suis etiam laboribus æquabilem, ut sese ad placitum Deum purius aecommodet, malens ipsum oblectare quàm re ardentè expetitâ potiri: ita significans illum plus reliquis omnibus, ipsaque perfectione à se diligi, quatenus scilicet intelligit Deum velle ut virtutem desideret, eamque nihilominus non obtineat, aut saltem non ita maturè, quodquidem totum in illius arbitrio relinquit.

4. Inde evenit ut quamvis nulli operæ parcendum sit, neq; desistendum ab acris studio virtutis cujus desiderium nobis Deus inussit, nunquam tamen diligentiam suæ laboribus inniti oporteat, quoniam non iis ad illam venit, sed ex Dei arbitrio, qui virtutem largitur aut denegat prout ipsi libuerit: unde oritur, ut homo sine ullo studij sui ac diligentiam respectu, firmiter speret, eum à quo primum desiderium accepit, daturum etiam, ubi voluerit perfectionem, & complementum, ideoque se illi committit, projicitque in eius brachia, secundum Davidis verba. *Laeta cogitatum tuum in Domino & ipse te enutriet*, minimè sollicitus de futuro eventu, perinde ac si ductu ac judicio careret, omni sui curâ Deo relicta, sive largiatur sive denegeret. Ita dimittitur Deus pro Deo, ipsum relinquendo quatenus nobis, quæstum aliquem virtutis obji-

obijcit, ut ipsomet fruamur sine proprii commodi lucro, per exercitationem puri perfectique amoris: vel ut sanius loquar, homo seipsum abdicat & deserit, & quicquid suam interest, quamvis spirituale sit, ut ad Deum solum adhærescat; qui nobis esse pluris omnibus cæteris debet. Cæterum licet hoc pertineat ad universa bonorum desideriorum genera, ut appareat quousque procedere debet animæ puritas, nullâque occupetur hypocrisis, tribus tamen præcipuè abstinendum est.

1. Versatur circa gloriam cœlestem, ejus dilationem tolerando, ut in voluntate Dei acquiescam, quæ anteponi à me omnibus debet, ad Apostoli exemplum, Philip. 1. *Mibi vivere Christus est, & mori lucrum, &c. desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis;* patiendo etiam illâ in perpetuum privati, dummodo id sine peccato fieret, ut adjungamur ab omni amore proprio maximi etiam bonorum omnium, quod est possessio Dei, secundum Apostoli sensum. Rom. 9. *Optabam enim ego anathema esse à CHRISTO pro fratribus meis,*

2. Desiderium est afflictionis: licet enim patendi cupiditas adverteretur inclinationi nostræ, cum excessu tamen haberi potest, & cum amore proprio; quemadmodum prægnantes femina appetunt vesci carbone, multisque aliis rebus injucundissimis uti. Præterquam quod pati pro DEO, res est ita sublimis, & quæ tantam potest animo voluptatem parere, ut esca proprii amoris evadat: quam obrem eminentissimum pro DEO patendi desiderium est illud, quod cum ejusdem DEI voluntate consistit; ideoque afflictionis desiderium nequaquam est altissimus virtutis gradus, quia temperari etiam perinde ac alia desideria debet; sed potius est perfecta delectatio procedens ab exactâ conformitate cum voluntate

DEI, quæ quidem delectatio nascitur ab dispositione promptissimâ, reddente nos flexibiles paratosque ad nos omnibus & ubique subjiciendos universis quæ DEUS efficere voluerit in creaturâ suâ, circâque ipsam.

3. Est desiderium abdicationis seu renuntiationis sui ipsius, ejusque virtutis, quæ maximè omnium expetitur ex cõformitate cum DEO, nihil hujusce etiam virtutis valendo nisi quod quantumque nobis conferre vult Deus: nam alioquin quæ ea virtute destitui dolet, illam cum hypocrisis, expetit, seq; ipse decipit, quærendo abdicationem in rei propriæ usu, qui magis quàm aliud quidvis virtuti eidem illi contrarius est.

VI. Et postremum, Hypocrisis genus ita subtile est ac subdolum, ut deprehensum non se tegat, nec artificium suum dissimulet, sed contra cæterorum naturam quæ semper larvâ specieque aliena se obtegunt, gratulatur sibi in apertum proferrî, elucere in vultu, ac palam agnosci. Amor est, ô Sanctæ anima, amor est immoderatus perfectionis ipsius, qui voluntates vestras occupat, qui desideriorum vestrorum est objectum, in quo labor vester omnis, totaque occupatio versatur, nec ullam vobis diurnæ ac nocturnæ quietis partem relinquit, meditantibus scilicet quid vobis desit ut omninò perfectæ fiatis: eamque ob causam purgationi vestræ tot modis operam datis, studetisque uni hodie virtuti, cras alteri adipiscendæ. Minimè quidem studium istud, eam diligentiam, curamque improbo, sed arguo excessum, quodque in ea consideratione immoramini, nec potius curatis divini Sponsi vestri oculis placere. Non in re dico vobis curam ornandi vos, & pulchritudinem sectandi, at viciosum id arbitror, quod vos exornatis ut evadatis formosæ, quod perficitis vos, ut perfectæ sitis, non autem ut sitis acceptæ ejus oculis, cui placere optandum vobis est, cum si deformitas esset gratior pulchritudine, hæc

omissa vitataque illam consecrari vos oportet. Illud scilicet instar mulierum quæ se adornant, & concinant quæ accuratissimè possunt: Aliæ student placere omnibus, idque mera vanitas est: Aliæ sibi ipsæ complacent, affectantque pulchritudinem, quia magis quàm deformitas decet, eæque ut plurimum fatuæ sunt, ac suæ, instar Narcissæ, formæ specularices evadunt: Illæ demum solæ exornant sese absque ulla vitii nota, quæ se componunt ad ornantque ut maritis suis placeant. Ita in negotio virtutis, velle alteri placere, vanitatis est, perfectioni studere ut perfectus fias, amoris proprii est fœtus: nihil licitum est præter desiderium Deo placendi. Inde fit. 1. Ut animarum istiusmodi cura, eas anxie non sollicitet, ut formosæ fiant; sciunt enim Sponsum suum moderata cura contentum esse: neque plus sibi pulchritudinis volunt, quàm quod illum ipsis velle intelligunt. 2. Si fragilitate aliove modo in culpam aliquam incidant, immoderate non dolent, quippe in Dei bonitate infinita conquiescunt, seque penitus ad ejus arbitrium conformant; 3. Non adhærescunt pertinaciter ad ullam devotionis praxim, actione vè sibi propositam præterquam ad eas quæ ipsis præceptæ sunt; neque enim pro arbitrii sui optione serviunt DEO, at ejus beneplacitum sequuntur in omnibus, illud venerantes æqualiter in adversis & in prosperis, in tumultu sicut in tranquillitate, in salutis suæ periculo pariter ac in securitate, in lapsibus ut in progressu, in egestate sicut in affluentia, ne sui quidem profectus jacturæve spiritualis rationibus studentes, sed id spectantes duntaxat, ut compleatur Dei beneplacitum, ut potè quæ non sibi sed Deo satisfacere cupiant, non placere sibi sed Deo. Immodè longius etiam progreditur S. Bernardus, perfectiusque nescio quid postulat, nimirum ut quod operamur non tam ad placendum Deo fiat, quàm prospere quod placet nobis Deus, Cùm enim

complacentia sit in bono, eam longè magis in Deo habere debemus, quàm expetere, ut illam Deus in nobis habeat: quamvis qui DEO satisfacere cupit, studeat non tam esse id quò delectetur Deus, quàm ipsammet Dei delectationem attendat: quamobrem cùm satisfacit DEO, non tam spectat commodum & lucrum quod sibi obvenit ex eo quod Deo satisfacit, quàm DEI sui magnitudinem, merentis penitus ut satisfiat sibi. Quæ in re perfectam illam reperio solitudinem, ubi creatura sic cum Deo solo versatur, ut ne se quidem ipsammet animadvertat. Quisquis porò nondum eò perfectionis proventus est, is dicere nequit se ab omni profus hypocrisis vacuum & immunem esse.

Verùm quoniam hæc cogitata non pertinent, nisi ad animas sanctissimas, perfectissimasque, earum autem perexiguus est numerus; Ad te redeo vilis abjectæque Anima, vanitatis mancipium, ambitiosa fatuè, ac turpiter hypocrita, quæ nihil nisi complacentiæ vitio agis, aut conquirendi honoris studio. Non vereris displicere DEO tuo, ut hominibus placeas; Studes non esse sancta, sed videri; Veritatem contemnis, tibi que mendacium aut similitudo sufficit; Non de possessione virtutum, sed de colligenda earum existimatione laboras: Sed cogita sequentia.

1. Quantum malum sit hypocrisis, quæ virtutes omnes inficit, & convertit in vitia: Chrysolog. serm. 7. appellat venenum latens, fucum virtutum, tineam sanctitatis: crudeli arte (inquit) virtutes truncat, mucrone virtutum, jejunium jeunio perimit: oratione orationem evacuat, misericordiam misericordia prosternit: Vide quæta bona in Pharisæis perdidit, quot ieiunia, quot vigilias, quot orationes, quot eleemosynas, & quam stragem fecerit in hominibus virtutis studium profitentibus: Cogita quid in fine vitæ superstes tibi futurus sit, dicet elobo, *Cogregatio hypocrisis sterilis*

2. Tu-ne adeò tibi vilis es, ut tuam æstimationem minùs cures quàm aliorum? dum illi te laudant, tu reipsam damnas, teque ream facit tua conscientia; Memineris in die iudicij tecum affuturam solam conscientiam; Tunc enim omnes tui laudatores te deserent, & soli tibi relinquèris:

3. Quàm parùm æstimas tuos labores, & tuam virtutem, ut hominum comendationem, tuam mercedem reputes: Et tamem poteris illis actionibus cælum mereri: nam utrumque intendere non potes, secundùm illud Christi Domini. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam: At vide stultitiam.*

1. Quòd commutes mercedem æternam, caducà; quâ enim te emis hominum gratiam & laudès, emere potuisti vitam æternam.

2. Quod hominum iudicia quæras, quæ Angelos iudicare debueras; S. Chrysol. serm. de cupiditate inanis gloriæ: Nam quæ de Angelis sententiam sis latura, optaveris à mortalibus his, & impuris, iudicium de te fieri, & parem laudem consequi cum saltatricibus, mimis, aurigis & belluarum confectoribus.

3. Quòd tam paucis hominibus placeas; nam pauci nos vident; Chrysol. loc. cit. Quot ouperes esse tuarum laudum præcones? nùm centum, aut ducentos? concedamus, si velis ad hominum quatuor millia, sint etiam,

si libet, innumeri plausores: nihil tamen hⁱ omnes à gracculis de loco superiori cātantibus distabunt: Verùm si Angelorum spectacula noveris, vel ipsis vermiculis, ejusmodi homines universi videntur abjectiores, araneà, fumòque, & infomniis infirmiores.

4. Quòd ad breve tempus. Iob 20. *Hoc scio, à principio quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocrite ad instar puncti: si ascenderit usque ad cœlu superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent ubi est.*

Denique in die mortis, quàm hæc omnia apparebunt inania, & vana, & in die iudicii, cum *Deus illuminabit abscondita tenebrarum* quanta erit inopis conscientiæ confusio? Certè Christus Pharisæos increpans de Hypocrisis, eos appellat, & cæcos, & stultos: quàm clarè videbunt in iudicio se tales fuisse! Tu itaque uni Deo placere stude, ac memineris Deum magnum esse spectatorem, & vindicem, & remuneratorem. Quid igitur alienos spectas oculos? Quid aliorum iudicium moraris? Quæ te alia melior merces potest attrahere, quàm ea quæ donatur in gloria? ad quam nos perducatur Jesus.

Christus. Amen.

* * *

